Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/deoperibussrober0000adul

A. M. D. G.

DE OPERIBUS

S. ROBERTI BELLARMINI

ALMA COLLEGE
208.8
LIBRARY
B414An
Alma, California

ROMA (101)
PONTIFICIA UNIVERSITÀ GREGORIANA
Piazza della Pilotta

23081

IMPRIMI POTEST

Romae, die 1 Septembris 1930

ADULFUS MARIOTTI S. I.
Praep. Prov. Rom.

IMPRIMATUR

Sorae, die 8 Septembris 1930

† ANTONIUS M. IANNOTTA
Episcopus Sorae, Aquini et Pontiscurvi

ISOLA DEL LIRI — SOCIETÀ TIPOGRAFICA ARTURO MAGIOCE & PISANI

Postquam B. Robertus Card. Bellarminus ad Sanctorum honores evectus est, de vita et moribus huius viri cum sanctitate tum scientia et eruditione praeclari nonnullae conscriptae sunt historiae. Verum, cum haud pauci doctrinam quoque tanti Magistri nosse cuperent, honesto desiderio quadantenus satis faciendum duximus per praesentem libellum in quo S. Roberti opera ab eodem edita recensuimus, deque eorum praestantia iudicia quaedam quae lata sunt, compendio adiecimus.

Epitomen hanc speramus fore ut quamprimum amplior iudiciorum collectio excipiat quo S. Roberti operum excellentia uberius dignoscatur.

INDEX

PRAEFATIO . . . . . *Pag.* I

ELENCHUS OPERUM S. BELLARMINI . . . . . » XIII

PARS I. - DE OPERIBUS IPSIS

CONSPECTUS. . . . . » 1

S. I. — SCRIPTA DOGMATICO-POLEMICA

A) DISPUTATIONES DE CONTROVERSIIS

I. - **Ipsum opus**

Origo . . . . . » 3
Scopus . . . . . » 3
Materia . . . . . » 3
Ordo materiae. . . . . » 4
Modus tractandi adversarios . . . . . » 5
Argumentandi ratio . . . . . » 5
Stilus . . . . . » 6

II. — **Iudicia de opere**

CATHOLICORUM IUDICIA INDIRECTA DE CONTROVERSIIS

Facta diversa

Aestimabantur plurimum iam antequam imprimerentur » 7
Divulgatae sunt subito, largissime . . . . . » 7

Sumebantur ut liber textus, norma . . . . . *Pag.* 7
Defendebantur . . . . . » 7
Compendia earum conficiebantur . . . . . » 7
Editiones, versiones earum . . . . . » 8

Effectus

Factum generale . . . . . » 8
In diversis terris simul. - Particularia de . . . » 8
Germania . . . . . » 8
Belgio . . . . . » 9
Bohemia . . . . . » 9
Lithuania . . . . . » 9
Anglia . . . . . » 9

CATHOLICORUM IUDICIA DIRECTA. QUALIA PROTULERINT

Pontifices. . . . . » 9
Concilium Vaticanum . . . . . » 11
Doctor Ecclesiae S. Franciscus Salesius . . . . » 11
Viri in ecclesiasticis dignitatibus constituti . . . » 11
Superiores Ordinum religiosorum . . . . . » 15
Viri Sacris disciplinis apprime excellentes . . . » 16
Principes saeculares . . . . . » 18
Appendix de mente Gallicanorum . . . . » 19
Appendix de mente Schismaticorum Russorum . » 20

HAERETICORUM IUDICIA INDIRECTA

Media externa quae adhibebant

Pralectiones . . . . . » 20
Praedicationes. . . . . » 20
Scripta . . . . . » 20
Instituta . . . . . » 20

Methodi et modi quae multi adhibebant

Calumniae atroces contra personam Bellarmini . . » 21
Opus ab aliis plurimis esse conscriptum . . . . » 21
Opus favere Protestantismo. Etc. . . . . » 21
Appendix de modo agendi quorundam e Schismaticis Graecis et Russis . . . . . » 21

Testimonia directa Haereticorum

De summo momento Controversiarum . . . . *Pag.* 22

B) MINORA SCRIPTA DOGMATICO-POLEMICA

I. - Circiter 13 scripta de Ecclesia et Rom. Pontifice

Scripta diversa.

De translatione Imperii . . . . . » 24
De successione Henrici Navarreni . . . . . » 24
Responsio ad: Aviso piacevole . . . . . » 25
De exemptione Clericorum . . . . . » 25
Scripta quinque de interdicto reipublicae Venetae . . . » 26
Scripta tria contra iuramentum fidelitatis a Jacobo I. impositum . . . . . » 27
Responsio ad librum « Triplici nodo .... » . . . » 28
Apologia . . . . . » 28
Examen . . . . . » 28
Tractatus contra Barclay . . . . . » 29

II. - Caetera scripta dogmatico-polemica

De libro Concordiae . . . . . » 30
De indulgentiis . . . . . » 30
Appendix de refutatione doctrinarum Baii . . . » 31

S. II. LABORES AD FONTES THEOLOGICOS PERTINENTES

A) AD SCRIPTURAM

Linguistica, uti Institutiones linguae hebr. Etc. . . . » 32
Ad editionem Scripturae
Septuagintaviralis . . . . . » 32
Vulgatae latinae
Sub Sixto V . . . . . » 32
Sub Gregorio XIV . . . . . » 33
Sub Clemente VIII . . . . . » 34

De authenticitate Vulgatae
Explanatio in Psalmos
Ipsum opus . . . . . *Pag.* 35
Origo . . . . . » 35
Proprietates. . . . . » 35
Iudicia Catholicorum indirecta: editiones, versiones . » 36
Iudicia Catholicorum directa . . . . . » 36
Iudicium e Russia. . . . . » 36
Iudicia Protestantium . . . . . » 36

B) AD TRADITIONEM

« *De scriptoribus ecclesiasticis* ».
Indoles operis. . . . . » 37
Iudicia Catholicorom indirecta: editiones, labores Patrologorum circa illud . . . . . » 37
Iudicia Catholicorum directa . . . . . » 37
Iudicia acatholicorum . . . . . » 38
Merita Bellarmini de doctrina S. Thomae . . . . . » 38

S. III. — OPERA CATECHETICA

Catechismi duo
Ipsi libri
Origo et scopus . . . . . » 40
Proprietates . . . . . » 40
Providentia Dei in praeparando Bellarmino . . . » 40
Iudicia indirecta de iis
Editiones, versiones . . . . . » 40
Bellum Iosephinismi et Gallicanismi. . . . . » 41
Defensores . . . . . » 41
Iudicia directa de iis. Quae protulerint
Pontifices . . . . . » 41
Concilium Vaticanum . . . . . » 42
Viri illustres . . . . . » 42
Dichiarazione del Simbolo . . . . . » 42

S. IV. — CONCIONES

Italicae in Italia

Ante iter in Belgium . . . . . *Pag.* 43
Post reditum, praecipue Capuae . . . . . » 43

Latinae Lovanienses

Ipsae conciones
Origo et scopus . . . . . » 44
Proprietates . . . . . » 44
Iudicia de iis indirecta et directa . . . . . » 45

S. V. — ASCETICA

Septem scripta omnibus destinata

Indoles eorum
Quae sint et quid contineant . . . . . » 46
Proprietates . . . . . » 47
Iudicia catholicorum indirecta: editiones versiones. . . » 47
Iudicia catholicorum directa. Quae protulerint . . . » 48
Doctor Ecclesiae S. Franciscus Salesius . . . . » 48
Viri illustres . . . . . » 48
Ipse Bellarminus . . . . . » 49
Iudicia Haereticorum . . . . . » 49
Exhortationes domesticae . . . . . » 49
Scripta de obedientia religiosa defendenda. . . . » 50

S. VI. — LABORES IN CONGR. ROM.; SIMILES

Ispi labores
In Congregationibus . . . . . » 51
Alii . . . . . » 51

Speciatim de « quaestionibus orientalibus » . . . *Pag.* 51
Iudicia de iis. . . . . . » 52
Appendix de « Recognitione » librorum suorum per Bellarminum facta . . . . . » 53

RERUM QUAE DICTAE SUNT COMPREHENSIO

Graphice exhibentur opera . . . . . » 53
Breviter diiudicantur . . . . . » 54

PARS ALTERA. — ELENCHUS CITATIONUM

Hae, ad priorem partem pertinentes, secundum sectiones, capita etc. prioris partis dispositae sunt . . » 59

Addenda et Corrigenda . . . . . » 87

ELENCHUS OPERUM

S. ROBERTI BELLARMINI

SECUNDUM ORDINEM TEMPORIS DISPOSITUS

1. *Columna prior* opera ipsa exhibet. *Altera* remittit ad editionem: Opera omnia, Neapoli, Giuliano, 1856-1862, quae complectitur 6 tomos, divisos in 8 volumina in Folio. Eam elegimus, quia multa exempla monstrare videntur, eam saltem generatim in Disputationibus de Controversiis eas mutationes atque additiones referre, quas ipse Sanctus Robertus in exemplari illo propria manu inscripsit, quod in Archivio Collegii Romani S. J. servatur; praeterea ea maiorem numerum opusculorum minorum continet; tandem ea facilis ad manum esse videtur. *Tertia columna* remittit ad notitias illas bibliographicas sat amplas, quae inveniuntur in: Carlos Sommervogel S. J., Bibliothèque de la Compagnie de Jésus, nouvelle édition, Bibliographie, Bruxelles Tome I 1890, col. 1151-1254 et in Addendis col. X-XI; Tom. VIII ib. 1898, col. 1797-1807; Rivière, Supplément Toulouse 1911, col. 11-13, 360-362. *Quarta columna* refert eas paginas huius lucubrationis, in quibus de scriptis illis agitur.

2. * significat, scriptum postea Controversiis uti partem esse additam.

3. Quae uncis inclusa sunt explicationis gratia a nobis addita sunt.

4. In elencho componendo secuti sumus fere Sommervogel.

EDITA

Titulus	Ed. Neap.	Sommervogel	
1 - Institutiones linguae hebraicae, Romae 1578, 8º, 139.		I. n. 4 c. 1151-1153	32
2 - De Translatione Imperii Romani a Graecis ad Francos, adversus Matthiam Flaccium Illyricum, Antverpiae 1589.	4 II 35-103	I. n. 5 c. 1153-1154	24
3 - Judicium de libro quem Lutherani vocant « Concordiae », Ingolstadii 1585.	4 II 173-207	I. n. 7 c. 1155-1156	30
4 - Disputationes de Controversiis Christianae Fidei adversus huius temporis haereticos, Ingolstadii 1586-1593 (3 tomi divisi in 4 volumina in Fol.).	1-4 I pp. 540 557, 860, 728.	I. n. 8 c. 1156-1180	3-24
5 - Responsio ad praecipua capita Apologiae .... pro successione Henrici Navarreni in Francorum Regnum. Auctore Francisco Romulo (Bellarmino erant haec nomina: Robertus, Franciscus, Romulus), Romae 1586, 8º, circiter 150.		I. n. 9 c. 1180-1181	24
6 - Responsio ad librum quendam anonymum, cuius titulus est Aviso piacevole dato alla bella Italia da un Nobile Giovane Francese sopra la mentita data dal Serenissimo Re di Navarra a Papa Sisto V. *	4 II 1-24	I. n. 11 c. 1181	25
7 - Refutatio libelli de cultu Imaginum, qui falso Synodus Parisiensis inscribitur * 1596.	4 II 102-108	I. n. 13 c. 1182	30
8 - Dottrina cristiana breve, Romae 1597.	6, 143-153	I. n. 14 c. 1184-1204; c. XI. - VIII 1789-1805	40-42
9 - Dichiarazione più copiosa della dottrina cristiana, Romae 1598.	6, 163-204		
10 - De indulgentiis et iubilaeo libri duo, * Coloniae 1599.	4 II 109-171	I. n. 15 c. 1204-1205. - VIII 1805. - R. 361	30

Titulus	Ed. Neap.	Sommervogel	
11 - De exemptione Clericorum, * Parisiis 1599.	4 II 25-53	I. n. 16 c. 1205	25
12 - Dichiarazione del Simbolo, Romae 1604 (?) 16° (v. g.ed. Romae 1846, 12° habet pp. 143).		I. n. 21 c. 1206-1208. - VIII 1805. - R. 12	42
13 - Risposta ... a un libretto intitolato, Risposta di un Dottore ad una lettera scrittagli .., Romae 1606 (de interdicto in rempublicam Venetam, contra Marsilium Neapolitanum).	4 II 479-497	I. n. 22 c. 1208-1209. - R. 12	26
14 - Risposta ad un libretto intitolato: Trattato e risoluzione sopra la validità delle scomuniche di Giov. Gersone, Romae 1606 (de eadem re contra Sarpi).	4 II 499-507	I. n. 22 c. 1208-1209	26
15 - Risposta ... al trattato dei sette Teologi di Venezia sopra l'Interdetto della Santità di nostro Signore Papa Paolo quinto, Romae 1606.	4 II 455-475	I. n. 23 c. 1209-1210. - R. 12-13	26
16 - Risposta alle opposizioni di F. Paolo Servita contro la Scrittura del Cardinale Bellarmino, Romae 1606.	4 II 479-497	I. n. 23 c. 1209-1210	26
17 - Risposta... alla difesa delle otto Proposizioni di Giovanni Marsiglio Napoletano, Romae 1606.	4 II 511-521	I. n. 24 c. 1210. - R. 12-13	26
18 - Recognitio librorum (suorum) omnium ... Romae 1607.	4 II 229-256	I. n. 25 c. 1210-1211. - R. 361	53
19 - Responsio Matthaei Torti ... ad librum (Jacobi I, Angliae Regis) inscriptum: Triplici nodo triplex cuneus, Romae 1608.	4 II 416-451	I. n. 26 c. 1211-1212	28
20 - Apologia pro responsione sua ad librum (mox nominatum) Jacobi Magnae Britaniae Regis.... Romae 1609.	4 II 345-413	I. n. 27 c. 1213-1216. - R. 361	28

Titulus	Ed. Neap.	Sommervogel	
21 - Tractatus de Potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus. Adversus Barclaium, Romae 1610	4 II 257-342	I. n. 26 c. 1216-1222	29-30
22 - In omnes Psalmos dilucida explanatio, Romae 1611 (1 vol. in Fol.)	5 I 1-627	I. n. 29 c. 1222-1224. - VIII 1805.	35-36
23 - Admonitio ad Episcopum Theanensem, nepotem suum.... Romae 1608.	Auctarium p. 639-655	I. n. 30 c. 1224-1225. - VIII 1805.-R. 362	Inter 46-48
24 - Examen ad librum falso inscriptum Apologia Cardinalis Bellarmini pro jure Principum.... auctore Rogero Widdringtono, Catholico Anglo, Romae 1612, 8°, 272.		I. n. 31 c. 1225-1226	28-29
25 - De Scriptoribus ecclesiasticis, Romae 1613.	6, 1-142	I. n. 32 c. 1226-1228. - R. 361	37-38
26 - Conciones habitae Lovanii; Cameraci 1617 (1 vol. in Fol. - Haec est editio prima, quae correcta est a Bellarmino).	5 II 1-596	I. n. 33 c. 1227-1230. - VIII, 1805	44-45
27. - De ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum, Romae 1615.	6, 205-266	I. n. 34 c. 1231-1236. - VIII, 1805	Inter 46-49
28 - De aeterna felicitate Sanctorum, Romae 1616.	6, 267-326	I. n. 35 c. 1236-1238; c. XI. - VIII, 1805	Inter 46-49
29 - De gemitu columbae, Romae 1617.	6, 327-396	I. n. 37 c. 1238-1241. - VIII 1805	Inter 46-49
30 - De septem verbis a Christo in cruce prolatis, Romae 1618.	6, 397-444	I. n. 38 c. 1241-1243. - VIII, 1806. - R. 362	Inter 46-49
31 - De Officio principis Christiani, Romae 1619.	6, 501-618	I. n. 39 c. 1243-1244. VIII, 1806. - R. 362	Inter 46-49
32 - De arte bene moriendi, Romae 1620.	6, 445-500	I. n. 40 c. 1244-1247. - VIII, 1806	Inter 46-49
33 - De cognitione Dei, Lovanii 1861 8°, 65.		I. n. 47 c. 1249	
34 - Exhortationes domesticae, Bruxellis 1899, 8°, 336.			49-50

Titulus	Ed. Neap.	Sommervogel	
35 - Xav. Marie Le Bachelet S. J., Auctarium Bellarminianum, Supplément aux Oeuvres du Cardinal Bellarmin, Paris 1913, 1 vol. Fol. pp. 726. (Continet lucubrationes pro Rom. Pontifice, Congregationibus Romanis, principibus, viris doctis etc).			
36 - Xav. Marie Le Bachelet S. J., Bellarmin avant son Cardinalat, 1542-1598, Correspondance et Documents, Paris 1911, 1 vol. 8°, pp. 559. (Epistulae ante Cardinalatum conscriptae, a Bachelet editae).		V. quaedam in his tribus scriptis contenta in I. n. 55 c. 1250-1254. - VIII 1800, 1807. - R. 362	
37 - Roberti Card. Bellarmini S. R. E. Card. e S. J., Epistulae familiares, Romae 1650, 1 vol. 16°, pp. 442. (Epistulae quaedam tempore Cardinalatus conscriptae, a Jac. Fuligatti S. J. editae).			
INEDITA			
38 - Commentarii in Summam S. Thomae, 4 volumina, 8° (pp. 618, 760, (v. 3 et 4) 1662.			4,31
39 - Conciones Capuanae, 2 volumina crassa, 4°, (paginae non sunt numeratae).			43-44
40 - Epistulae (quas praecipue uti Cardinalis scripsit; eae certe volumina diversa implebunt).			

CONSPECTUS

SECTIO I. — **Dogmatico-Polemica.**

A) « Disputationes de Controversiis ».
B) Scripta alia eiusdem generis.
1) Circa 13 scripta, quae praesertim de Rom. Pontifice et Ecclesia agunt.
2) Caetera scripta dogmatico-polemica.

SECTIO II. — **Opera de fontibus theologicis.**

A) De Scriptura: *Linguistica, etc. - Ad editionem (LXX et) Vulg. - De valore Vulg. - Exeg.: « Explanatio in Psalmos ».*
B) De Traditione: « *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ».

SECTIO III. — **Catechetica.**

1) Catechismi duo. — 2) Declaratio Symboli.

SECTIO IV. — **Sermones sacri.**

1) Italici — 2) latini (Lovan.) — Adiungitur scriptum « De ratione formandae concionis ».

SECTIO V. — **Ascetica.**

A) Septem scripta omnibus Ecclesiae sive membris sive episcopis et principibus destinata.
B) Scripta quae cum Societate Jesu rationem praecipuam habent: Exhortationes domesticae. — Apologetica pro obedientia religiosa.

SECTIO VI. — **Multa « Vota » in Congregationibus Romanis; similia.**

Rerum dictarum comprehensio.

In singulis scriptis vel scriptorum generibus considerandis generatim hunc ordinem sequemur:

Caput I. de ipso opere aget.

Caput II. colliget iudicia { Catholicorum { indirecta / directa ; Haereticorum { indirecta / directa.

NOTA. — Non consideramus ea diversa scripta, quae B. Bellarminus de quaestione inter Catholicos libera « De auxiliis » composuit.

SECTIO I.

SCRIPTA DOGMATICO-POLEMICA

A). — DISPUTATIONES DE CONTROVERSIIS

Caput I. — IPSUM OPUS

1) **Origo Controversiarum.** — *Praeparationem mediatam praebuerant Commentaria in Summam S. Thomae* seu **Praelectiones Lovanii** in Col. Soc. Jesu 1570-1576 conscripta et praelectionibus explicata. Etenim Beatus iam in iis ampliore modo et dogmata e Scriptura Patribusque stabilire et Protestantes proferre atque refutare solebat. - *Praeparationem vero immediatam* Controversiarum constituerunt **Praelectiones,** quas Bellarminus 1576-1587, annis aetatis suae 34-45, habuit in **Collegio Rom.** S. J., iubentibus Gregorio XIII et Generali S. J. Mercuriano. - *Occasio* earum fuit : *a)* necessitas *alumnorum Collegiorum Germanici-Hungarici et Anglici,* - *b)* defectus successus trium professorum, qui ante Bellarminum Controversias legerant.

Impressae sunt Controversiae prima vice 1586-1593 Ingolstadii, *3 tomi in Folio,* qui postea in 4 tomos divisi sunt.

2) **Scopus Controversiarum** non erat praecipue negativus seu refutare, *sed maxime positivus,* i. e. doctrinas catholicas e fontibus theologicis demonstrare, et tantum postquam hoc factum fuisset, rationes haereticorum diluere.

3) **Materia Controversiarum.** — *a)* Bellarminus tractavit *controversias omnes easque diversissimas*, quae eousque a Novatoribus excitatae erant, non aliquas tantum, uti auc-

tores ante Bellarminum facere consueverant. Cum autem harum controversiarum ingens esset numerus, Bellarmini Controversiae « *fere integram dogmaticam* » complectuntur (**Scheeben, Kleutgen S. I., Janssens O. S. B.**). — *b*) Ob maius earum momentum intrinsecum et acrius bellum contra eas motum Bellarminus *praecipue doctrinas de Ecclesia et Rom. Pontifice evolvit*. Neque tantum eiusmodi doctrinas ex his tractatibus evolvit, quae tunc temporis iam de fide erant, verum etiam alias, praecipue tales, quae in se ipsis quasi fundamentum caeterarum sunt, v. g. de plenitudine potestatis Rom. Pontificis eiusque infallibilitate, prouti in Concilio Vaticano sunt definitae; de potestate indirecta Ecclesiae atque Pontificis in res temporales. Unde iam tunc invicte et systematice *debellavit et Protestantismum et Gallicanismum* eiusque surculos, *Regalismum*, etc.

4) **Ordo Materiae.** — Haec ingens materia in corpus optime coagmentatum composita est.

a) Omnia ad *unitatem quandam* redacta sunt, scilicet ad demonstrationem et defensionem articuli *noni et decimi e Symbolo:* « unam sanctam Ecclesiam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum ».

Praemittitur tractatio de fontibus fidei { Scriptura / Traditione

I. *Ecclesia* { militans { Caput { principale : Christus / ministeriale : Rom. Pontifex ; membra { clerici / monachi / laici ; purgans ; triumphans, ubi de cultu Sanctorum, etc.

II. *Communio Sanctorum,* scilicet per sacramenta { in genere / septem singula

III. *Remissio peccatorum,* ubi de gratia { primi hominis / eius amissione / reparatione

b) *Veritates in Controversiis singulis probandae* ita disponuntur, ut « *una aliam serat* » - v. g. an Petrus totius Ecclesiae caput et princeps fuerit? an sedem Romae reliquerit?

an Rom. Pontifex ei successerit in primatu in totam Ecclesiam? Etc.

c) Singula demum *asserta* Bellarminus *semper eodem ordine* connaturali et facili tractat: nempe enumeratis auctoribus qui de re illa scripserunt, descriptis sententiis haereticorum, prius doctrinam catholicam e singulis fontibus fidei ex ordine demonstrat, scilicet e Scriptura, e Traditione, e ratione si fieri potest; deinde difficultates haereticorum, easque secundum eadem capita ordinatas, refutat.

5) **Modus tractandi adversarios.** — *a) Affert plurimos atque diversi generis.* Vix ullum alicuius momenti ignoravit. **S. Franciscus de Sales** ait, Bellarminum « montes librorum » haereticorum revolvisse, quamvis eorum usus ea aetate tam difficilis esset.

b) Explicat eos fideliter secundum sensum ab ipsis haereticis intentum. Testantur hoc ex ipsis Protestantibus v. g. **Whitaker** 1588, **Heidegger** 1684, **Mosheim** 1741, secundum Brodrick **Bickersteth** 1845, **Newmann** ante conversionem, **Thiersch** 1897.

c) Refutat eos alienus ab omni acerbitate, animo plane tranquillo, quamvis alius esset fere mos temporis, atque ipse Bellarminus plus quam omnes caeteri auctores a Protestantibus calumniis vilissimis, etc., impeteretur. Uti affirmat Brodrick, e Protestantibus v. g. **Willet** 1593 asseruit, Bellarminum esse « mitissimum atque humanissimum », atque inter 2 milliones verborum Controversiarum tantum 12 invenit, quae aliquam vehementiam prae se ferre viderentur.

d) Concedit iis quae concedenda sunt, v. g. quorundam Pontificum vitia.

6) **Argumentandi ratio.** — Primario Bellarminus innititur in Scriptura et Traditione. *Quoad Scripturam: « Beaucoup des meilleures preuves d'Écriture sainte de nos dogmes ont gardé la forme qu'il leur a donnée »*, (**de la Servière**). Plurimos textus quamvis breviter tractet, tamen etiam eorum tractatio *a*) manet intra analogiam fidei, *b*) auctoritate maiore vel minore Patrum vel Theologorum commendari solet. Exemplum sit hoc: e locis

pro demonstrando purgatorio notissimi illi duo, scilicet e l. 2 Mach. et 1 Cor. c. 13 (Matth. 12, 32) columnas fere 18 in Folio occupant, caeteri 15 textus, quos theologi generatim afferunt, simul sumpti nonnisi circiter 13 columnas.

Quoad Traditionem Ecclesiae. - 1) « *Legit fere omnes Patres, et historias et multos scholasticos Doctores et concilia vel eorum summam ut etiam totum fere ius canonicum* ». (Autobiographia). Unde eos fontes citavit : - *a*) *Abundantissime,* non tantum anteriorum auctorum laboribus usus, sed eos superans (**de la Servière**). V. g. agens de sacramentis citat Patres et theologos 259, alios auctores 59. Doctissimus **Card. du Perron** ait : « tutto quello, che era di buono nelli Scrittori, che haueuano scritto di questa materia dopo cinquecento anni, si trouaua ne' suoi libri, et infinite cose oltr'à ciò non osservate da loro ». Porro pro una re saepe multos unius Patris textus adducit v. g. 13 vel 20. - *b*) Ii loci non ex aliis auctoribus arrepti sunt, sed *propriae lectioni debentur.* - *c*) Aliquando explicationes singulorum quorundam locorum sunt « *modèles de méthode et de loyale discussion* » (**de la Servière**) ; v. g. doctrina S. Augustini *de Eucharistia.*

2) *Monographias* aliasque lucubrationes etiam recentissimas legit et adhibuit. V. g. pro tractatu de Rom. Pontifice 34 ; scilicet : 11 Belgas et Germanos, 8 Italos, 7 Hispanos, 6 Anglos, 1 Polonum, 1 Graecum. Cum Possevino Bellarminus sibi composuerat catalogum 155 Controversistarum recentiorum.

7) **Stilus** ex una parte est concisus, quamvis saepissime de rebus positivis agatur et tanta materia proponatur ; ex alia parte facilis est, imo non inelegans, etiam ubi materia speculativa tractatur.

Caput II. — IUDICIA

A) Catholicorum iudicia indirecta

Facta diversa. — I) Iam antequam impressae erant Controversiae, maximi aestimabantur. - 1. Amabantur a discipulis. - 2. Scribebantur in schola per plurimos missos etiam ab episcopis, etc. - 3. Spargebantur, uti ait **Whitaker** « cimeliorum instar » per Germaniam, Angliam, Poloniam. - 4. Jam tunc ab haereticis refutabantur. - 5. Ipse Bellarminus a regibus Transsylvaniae et Poloniae pro eorum terris expetebatur, porro pro educatione Jacobi Regis Scotiae desiderabatur. - 6. Recurrebatur ad eum pro conscribendis libris contra haereticos; atque saepius iam tum petentibus morem gessit, v. g. componens scripta *De Translatione Imperii, Iudicium de libro Concordiae.* - 7. Vehementissima desideria ex omnibus partibus manifestabantur et Romam perveniebant, ut Controversiae imprimerentur. - 8. Generalis Aquaviva mandavit, ut eas imprimeret.

II) Divulgatae sunt subito v. g. in Germania, Belgio, Anglia (Testimonia **Theod. Canisii, Lessii** etc.), porro mox etiam largissime (**Card. Dietrichstein:** « Vaticanam Bibliothecam implerent » exemplaria in sola Germania; etc.)

III) Sumebantur ut liber textus v. g. in Collegio Germanico-Hungarico, in Collegio Duacensi pro Anglis. Erat « norma auctoritativa in omnibus seminariis et centris intellectualibus Europae ». **(Brodrick).**

IV) Defendebantur a viris etiam primariis, v. g. duobus ingentibus voluminibus in Fol. a **Gretser,** cuius ipsius « laus ingens est in Ecclesia Dei ».

V) Compendia vel Summae Controversiarum conficiebantur, v. g. a **Junio O. S. Fr.** 1611 in Hollandia; a **des Bois O. M.** 1602 in Gallia; a **Bonav. Carpentorensi O. M. C.** 1653 in Gallia (?); in Germania a **Coppenstein** 1625 ..., **Neuenheim** 1748, **Sintzel** 1842, 1872. Etc.

VI) EDITIONES operis impressi vivente Bellarmino in diversis terrae factae circiter 20 numerantur. Multae postea item in diversis terris secutae sunt.

Effectus. — Effectus, sive confirmationem catholicorum sive conversiones haereticorum respicimus, non potuisse non esse copiosos, facile omnes concedent, qui operis indolem, quam descripsimus, editionum numerum atque divulgationem in diversis terris considerant. Iuverit tamen quaedam magis determinata summatim exhibere.

1) Ac primo quidem haud pauci Cardinales, Episcopi, Ordines religiosi FACTUM GENERALE TESTATI SUNT, Controversias, tum eo saeculo quo editae sunt, tum usque ad suam ipsorum aetatem, mirabiles effectus produxisse. V. g. saeculo 18 Universitas Conimbricensis; Generales Can. Reg. Lateranensium, Ordinis SS. Trinit., etc. Atque historicus recentissimus Brodrick conversiones secutas « innumeras » dicit.

2) TERRAS DIVERSAS SIMUL SUMPTAS si consideramus, ipse Bellarminus 1591 conversiones testatur in Germania, Belgio, Gallia; item coaevus haereticus du Jong de tot ibi conversis loquitur; porro nuntii apostolici idem postea repetunt; de Bearnais, Bohemia, Sabaudia 1713 Generalis Barnabitarum; de Belgio, Rhenania, Polonia 1713 Card. Spada, qui nuntius ibi fuerat.

3) IN SPECIE DE GERMANIA Maximilianus, elector Colon., 1649 influxum in Catholicos effert; Josephus Clemens, elector Colon. 1713: « integras Lutheranorum et Calvinistarum cohortes » cum ministris suis conversos esse. Quidam celebres viri conversi sunt hi: Professor in Universitate Heidelbergensi Justus Calvinus; Vicecancellarius apud Electorem Palatinum Mincellius; Wolfgangus Guil., comes Palatinus.

DE BAVARIA Guilelmus V († 1626) Bellarmino scripsit: « Quot filios Domino peperisti! »; porro affirmat « florentem Bavariae statum » Bellarmino et caeteris Soc. Jesu membris deberi. Elector Ferdinandus Maria 1655 de maximo adiutorio per eius lu-

cubrationes praestito agit. — Pro dioecesi sua IN HELVETIA episcopus Sedonunensis 1713 idem testatur.

DE BELGIO praeclarum Bellarmini adiutorium tum ad catholicos firmandos tum ad exstirpandam haeresim episcopi saepius testati sunt.

DE BOHEMIAE in fide conservatione et haereticorum in ea regione conversione Card. Schönborn 1892 luculentissimum testimonium reddidit. - DE LITHUANIA testatur 1713 episcopus Vilnensis; porro princeps Radziwil, cuius antecessores et uxor, plurimi alii trium sectarum asseclae Bellarmini scriptis conversi sunt.

DE ANGLIA. Tot martyres, sive antea sive nuperrime 1929 beatificati, atque tot confessores fidei, qui simul apostoli patriae suae esse solebant, sive Duaci sive Romae, aut ab ipso Bellarmino aut eius Controversiis instructi sunt. Sub Jacobo I celeberrimus theologus Carier, mater et uxor Lord Buckingham ad fidem catholicam reversi, recentissime Newman et quidam eius amici per Bellarminum adiuti sunt.

B) IUDICIA DIRECTA CATHOLICORUM

PONTIFICES

Clem. VIII: « *non habet parem Ecclesia Dei quoad doctrinam* ».

Benedictus XIV « haereticorum malleus ».

Benedictus XV: « la cattolica verità sia difesa, come questa difendeva Bellarmino ».

Pius XI: « lo splendore di una intelligenza geniale, di una scienza altrettanto vasta che alta e sublime, ed il merito non solo del culto della verità, ma anche di una difesa strenua, che non avrebbe potuto essere migliore e che ha fatto del Bellarmino, nel cielo della Chiesa, *un astro di prima grandezza*, uno dei più vigorosi controversisti della verità cattolica ».

BREVE BEATIF.: « *Haereticorum malleum, sacrae disciplinae instauratorem, christianae fidei culmen et propugnaculum, ca-*

tholicae veritatis adsertorem ac vindicem strenuum, praedicarunt coaevi, ipsique Romani Pontifices Nostri Decessores et in vita sanctissimum ... ». — « .... undecim per annos Dei Servus, eruditissimis lectionibus, falsas haereticorum doctrinas refutavit, eaedemque lectiones sub titulo *Controversiarum* in haereticos prelo impressae ac per universam Europam diffusae, *tum pervicaciam haereticorum fregerunt, tum mirandas conversiones ad romanam fidem obtinuerunt* ».

Breviar. pro Societate Jesu: « Multa praeclare scripsit, illud meritum adeptus in primis, quod, Sanctum Thomam ducem et magistrum secutus, contra novos errores theologiam convertit *methodumque designavit, quam temporum sequentium praecipui doctores tenendam existimarunt* ». — Missa pro Societate Jesu: « Deus qui ad catholicam fidem tuendam et Apostolicae Sedis iura propugnanda, Beatum Robertum Confessorem tuum atque Pontificem *mirabili sapientia et virtute* decorasti; eius meritis et intercessione concede... ».

Decretum, tuto procedi posse ad solemnem Canonizationem, d. 18 Maii 1930: « Quum Novatores saeculi xvi tot tantisque erroribus veritatem catholicae fidei impeterent, in id, praecipuo conatu, adniti visi sunt ut Romani Pontificis auctoritatem convellerent, quo submoto angulari Ecclesiae lapide, facile totum catholicae veritatis aedificium corrueret. At illi quidem *meditati sunt inania*, stante verbo Domini: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matth., XXVIII, 20). Et sane providentissimus Deus in ea etiam temporum procella praesentissimus Ecclesiae suae adfuit, tum multiplici suae gratiae auxilio, tum etiam suscitatis in Ecclesia viris sanctitate aeque ac doctrina insignibus, qui impugnatas ab haereticis veritates strenue ab errore vindicarent. Quos inter Cardinalem Robertum Bellarmino *non immerito dixeris principem ea aetate Romani Pontificatus propugnatorem et vindicem,* ut, quas haeretici praerogativas Romano Episcopo impudenter denegabant, eaedem, doctissimi viri opera, clariori luce niterent ».

Concilium Vaticanum

Doctrinae a Gallicanis negatae, a Concilio definitae, sunt eae ipsae, quas Bellarminus *prae omnibus* « *maiore cum scientia, methodo, logica, claritate, praecisione docuerat* » (uti concedit ipse episcopus Gallicanus Maret), i. e. plenitudo potestatis Rom. Pontificis, in qua includitur potestas immediata et episcopalis, porro infallibilitas Rom. Pontifix ex sese, non vero e consensu Ecclesiae. — Porro in disputationibus conciliaribus tum a maiore Patrum numero longi loci e Controversiis allati sunt ad difficultates adversariorum in ipso Concilio refutandas, tum ipsa minor pars magnam earum auctoritatem agnovit, in quantum scilicet — sane sine successu — demonstrare nitebatur, eas in quibusdam doctrinis sibi favere. Unde **Card. Mermillod,** qui Concilio intererat, scripsit: Bellarminus « *Concilium Vaticanum illustravit* ».

Doctor Ecclesiae S. Franciscus Salesius

1) In regione La Chablais, uti ipse Sanctus Doctor testatur, *praedicavit* per quinque annos « *sans autres livres* que la Bible et ceux du grand Bellarmin ». — 2) *In libro eius* « Controverses » Bellarminus (ut minimum dicatur) tenet primum locum inter auctores, quibus S. Doctor utitur. Hic autem liber ex una parte omnino sequitur eas praedicationes S. Francisci Salesii, quas mox commemoravimus, ex alia parte a Pio IX in Decreto de doctoratu S. Francisci Salesii summis laudibus effertur. — 3) Semper a S. Francisco Salesio Bellarminus *maximis encomiis* additis nominatur, v. g. « grand, docte, très excellent Docteur », etc.

In dignitatibus ecclesiasticis constituti

Ex innumeris testimoniis pauca e singulis saeculis 17, 18, 19, 20 diversisque populis eligimus; ita satis de constanti atque universali traditione constabit.

Saeculo 17. — **Card. Bandino** 1621: « *simile* fu il Signore Cardinale Bellarmino *a' Santi Dottori della Chiesa* per l'opere stampate in difesa della Santa Fede ».

Card. Varallo 1621 de Bellarmino: « un santo Agostino de' nostri tempi, ha scritto con tanta chiarezza, e con tanto buon'ordine, che sodisfa ad ogni persona, che le (le compositioni) legge . . . ».

Card. Centino O. M. Conv. 1624: libri « ... totius Christiani orbis praeconijs celebrati. Illum sane non immerito duxerim appellandum *Haereticorum malleum, Sanctae Ecclesiae propugnaculum, Christianae Fidei columen, Catholicae veritas assertorem, ac vindicem* ».

Card. Ubaldini 1621: se uti nuntium in Gallia experientia didicisse, *neminem ita bene defendisse dogmata catholica ea aetate,* « per la qual ragione penso si possa chiamare. l'Athanasio, e l'Agostino de' nostri tempi, mandato dalla diuina prouidenza, per confusione dell'heresie ».

Card. Scaglia O. P. 1624: « io porto fermissima opinione, che e per eminenza di dottrina, e per esempio di vita si possa *comparar' a qual si sia de gli antichi, che sono stati per scienza, e perfettione di virtù al mondo più famosi,* e più chiari ».

Card. de Torres 1629: « *degno di essere annoverato tra quegli antichi Padri,* e difensori della Chiesa Santa, per il valore, e virtù de' quali, l'ha il Signore Iddio difesa negli andati tempi... ». —

Leop. Guil., archidux Austriae et ep. Olmuc. 1644: « praeclara Bellarmini esse merita praecipue de terris haeresi infectis... Antiquis Ecclesiae doctoribus par censeri non immerito potest ».

Ferd. elector, archiep. Colon. 1649: « Germanorum maxime Catholicorum, quibus periculosissimis haereseos vehementer grassantis temporibus adeo strenue verbis et scriptis opitulatus est... ».

Initio saeculi 18. — **Card. de Verme, ep. Ferrar.:** Bellarminum recte dici « doctrina *aequalem Sanctis Ecclesiae doctoribus:* Ideo non mirum, quod tot haereses confutavit ».

Petrus, patriarcha Venet.: « volumi della più soda e sana Dottrina con cui combattè in vita, ed abbatte giornalmente in morte l'Eresia ».

Card. Spada, ep. Lucensis: « cum tantum ad Fidei Romanae hostes frangendos ponderis, ac momenti in ejus doctrina fuerit semper, hodieque sit, quantum ego ipse, dum olim in Belgio Apostolicae Sedis Internuncius, multoque magis cum Nuncius ad tractum Rheni, et in Poloniae Regno degerem, propius inspexi . . . ».

Franc. Jos., ep. Sedunensis in Helvetia: Nullam nunc esse familiam haereticam in sua dioecesi; hoc autem impetratum esse a membris Soc. Jesu « ope scribentis et arma contra Hostes suppeditantis Dexterae Bellarmini a Deo ».

Michael ep. Trident.: « de fidei controversiis quaestiones summa omnium admiratione conscripsit, quarum luce et virtute, tot, tantosque novitatum Germanicarum composuit motus . . . ».

Saeculo 18. — **Archiep. Jos. Clem., elector Colon.**: « veritatis Catholicae et Orthodoxae pietatis assertorem, atque eximium propagatorem. . . ».

Theod., ep. Varmiensis: « fructum quem et hactenus, non sterilem in conversione Haereticorum (quibus undique velut cingulo cingitur) ex eiusdem Viri libris experitur » nostra dioecesis . . .

Constantin. Brzostonuschi, ep. Vilnensis: « eius eruditissima plenaque Catholico Spiritu scripta, ob quae merito malleus Haereticorum, Ecclesiae Sanctae propugnaculum dici, haberique meretur. Confirmant haec multorum ad Fidem Sanctam Romanam etiam in Dioecesi mea conversiones ».

Capitul. Ulissipon. (sede vacante): « Doctorem Ecclesiae praeclarissimum, et haereticorum malleum praedicabimus, qui suis in Libris, quasi in incude *tot haereses contudit, quot quaestiones producit* ».

Card. Cavalchini 1753 celeberrimae suae relationi de causa Bellarmini ad Ben. XIV, quae iustum volumen implet, finem imponit iis pro Bellarmini doctrina maxime honorificis verbis, quae

antea Generalis Ord. Praed. scripserat et quae p. 15-16 afferemus.

Saeculo 19. — **Card. Burdigalensis (Bordeaux) 1868**: « Ille enim fidem catholicam suis scriptis *ab omni haereticorum calumnia vindicavit, et saniorem Ecclesiae doctrinam*, non solum ingenii viribus, verum etiam morum innocentia et sanctitate vitae *mirifice illustravit et confirmavit* ».

Card. Mermillod, tunc episc. Hebron, ex Helvetia 1873 scribit: « Cum virtutum enim splendore insignem prorsus scientiam iungens, revelatam veritatem, Ecclesiae auctoritatem, Apostolicae Sedis potestatem et infallibile magisterium *summa argumentorum vi et gravitate defendit, easque inprimis haereses et errores confutavit, quorum ultimas*, pravissimasque consequentias oecumenicum *Vaticanum Concilium nuper damnavit, Ecclesiaque porro condemnatura est*. Vere itaque optimus ille doctor ipsum Vaticanum Concilium scriptis et doctrinis suis illustravit ».

Episc. Lauvarensis in Portug.: — « praestantissima in eius scriptis divulgata doctrina, qua scientiam Dei affatim locupletavit, Ecclesiamque fortiter munivit . . . ».

Fere 30 Card., archiep. et episcopi Hispaniae 1891: . . « strenuissima in haereticorum erroribus vehementer profligandis, virtute . . . ».

22 Archiepiscopi et episcopi Imperii Austriaci et regni Hungariae 1891: « Praeclara Bellarmini merita erga Germaniam, cuius gratia vulgatis ipse scriptis eruditione doctrinaque refertis quasi armamentarium instruxit pro verae fidei defensione ac propagatione, haerent nobis alte defixa nec memoria unquam excident ».

Archiepisc. Ultrajectensis cum 4 episc. Hollandiae 1891: « splendidissimum illud Romanae Ecclesiae jubar, catholicae veritatis egregius defensor, destructor haereseon, maxime illarum, quarum pestis nostram patriam infecit . . . ».

Card. Schönborn, archiepiscopus Pragensis 1892: « Nulla enim Orbis pars ignorat, quam *mirifice meritus* sit Ven. Servus Dei Bellarminus numerosissimis eruditione et doctrina praeclara

refertis libris pro defensione et propagatione verae Fidei, *nominatim autem pro defendenda suprema Romani Pontificis in Ecclesia Dei auctoritate et potestate* conscriptis ».

Card. Manning, archiep. Westmonasteriensis et episcopi istius provinc. ecclesiasticae: « qui *prae aliis pro Sedis Apostolicae infallibilitate propugnaverit . . .* »; « memoriaque non ingrata retinentes Venerabilem Bellarminum fortiter scripsisse contra iuramentum a Iacobo I, rege Angliae, propositum et a Christi Vicario vehementer reprobatum, atque eumdem etiam *inter primarios insignem Anglicanismi adversarium* fuisse Romanae Ecclesiae doctrinae advocatum necnon et propugnatorem . . . ».

Seculo 20. — **5 Cardinales Galliae 1923**: « Au temps où il vécut, le Bienheureux Bellarmin fut le vengeur de la foi et le conseil du Saint-Siège. En Belgique, en France, en Italie, il apparut comme un puissant théologien... ».

4 Cardinales Hispaniae 1923: « Beatum Robertum Cardinalem Bellarmino in Sanctorum numerum quantocius referri, omnes vehementer exoptant quotquot Apostolicam Sedem, cuius exstitit ille strenuus quam qui maxime propugnator, devotione et amore prosequuntur ».

Ordinum religiosorum Superiores ab initio saeculi 18

Ordo Eremit. S. Augustini: se Bellarmino debere defensionem splendidissimam S. Augustini, quem haeretici suum facere voluerint.

Ordo Carmelit.: « *Titolo glorioso di Maestro, Dottore e Difensore della Chiesa Cattolica* ».

Camald.: uti in pudicitia ita in « sapientia et Doctrina *Angelico doctori pene exaequandus* ».

Ordo Min. Obs. Reform.: verba magnifica, quae Sixtus IV in Bulla Canoniz. *de S. Bonaventura ut doctore* profert, *ad Bellarminum uti doctorem applicat.*

Ordo Praed.: « nihil denique acrius insectaretur, quam emergentes haereticorum errores, quos *immensis non minus*

mole, quam eruditione voluminibus adeo feliciter profligavit, ut vere gloriari possit Ecclesia, sibi in Bellarmino defensorem contigisse se dignum, id est, non minus strenuum, quam sincerum; non minus veracem, quam doctum ».

Ordo Barnab.: « nullam forte Religionem » esse, quae tot e Bellarmini elucubrationibus utilitates hauserit, quam suam; conversiones quas sui obtinuerint in Bearnensi provincia, Bohemia, Sabaudia, « magna ex parte » Bellarmino deberi.

Generalis Soc. Jesu coram Pio XI: « teologo eminentissimo . . . *principe degli Apologisti moderni* . . . » ; *eum uti Protestantismum, ita Gallicanismum debellasse.*

Alios multos omittimus, e quibus aliqui fere tractatus de eminentia doctrinae Bellarmini proponunt.

Viri sacris disciplinis apprime excellentes

Baronius: « ... nobilissimum plane opus, quod instar turris illius, quam David aedificavit cum propugnaculis, ex qua mille pendent clypei, et *omnis armatura fortium*, in Ecclesia habeatur ».

Possevinus 1599 in causa fuit, cur aliqua Congregatio Professorum S. J. peteret a Generali S. J., ut in posterum nemo *ad Professionem admitteretur, nisi lectis integris Controversiis* Bellarmini et saltem praecipuis conclusionibus earum in examine recitatis.

Card. du Perron 1605, qui ipse cum Bellarmino et Stapleton quasi Triumviratum excellentiorum eius aetatis apologetarum format: « ... ho fatto sempre professione di stimarli (i libri di Bellarmino), e riverirli *sopra tutto quello, che è stato scritto nella difesa della Chiesa da mille anni in quà* . . . io protesto alla vista di tutta la Francia, anzi di tutto 'l mondo, *d'accettarlo volentieri per maestro* ». Addit relate ad Eucharistiam: « *tutto quello che era di buono* nelli Scrittori, che havevano

scritto di questa materia *dopo cinquecento anni,* si trovava ne' suoi libri, *et infiniti cose oltr'a ciò* non osservate da loro ».

Coeffeteau O. P., 1623, ipse quoque controversista et concionator regius: Baronium et Bellarminum esse « florem et robur exercitus Domini ».

Gravina O. P. 1625: « fidei athletam robustissimum . . . *in confutandis haereticis Irenaeum*, a divina providentia destinatum dixeris ».

Anton. Sanderus 1626: Omnium nostrae aetatis eruditorum sententia est, « a multis retro saeculis non obtigisse fere aliquem Ecclesiae Romanae Praesulem, qui de ea scriptis, eruditione, ac insignium virtutum exemplis, amplius meritus sit, quam piissimus sapientissimusque Robertus Card. Bellarminus ».

Cornelius a Lapide S. J. 1626: « *nec a Christi temporibus* hucusque, *simile, in hoc genere,* vidit Ecclesia ».

de Graveson O. P. 1643 « doctrina et pietate toto orbe celebris ».

Card. Brancatus a Laurea, O. M. Conv. 1657, revisor operum Bellarmini pro Congr. Rit.: « *in Polemicis et Theologicis quantum caeteros Bellarminus superaverit* » patere.

Roccaberti O. P. 1698: « opus sane spissum, operosum, ac *numeris omnibus absolutum. Ex eo hauserunt autem opes innumeri, et multi fere rescripserunt* ».

Muratori 1740: « . . . *optima usus est methodo* ad haereses confutandas et controversias decidendas: media enim ad hunc finem et necessaria et idonea et quae possunt esse sufficientia ad victoriam arma, sunt ratio et auctoritas, philosophia et eruditio; atque iis ubique armatus procedit haeresum debellator strenuissimus: *argumentatur enim fortissime, diligentissimeque Patrum, Conciliorum, aliorumque veterum Scriptorum sensus scrutatur, atque nullum theologiae locum praetermittit,* ex quo non desumat idoneum causae suae patrocinium... Ipsa scriptoris methodus quamvis pene scholastica, *elegans est,* aptaque legentium animos delectare. Ordo eius optimus et singularis modestia, caeteraque omnia *immortali laude dignissima* ».

2

Concina O. P. 1756: « *Connumerandum etiam inter Patres Ecclesiae, nisi deesset antiquitas* ».

Kleutgen S. I. 1873: etiam in Bellarmino uti in aliis quibusdam eiusdem aetatis praeter alia id extollit, quod in Controversiis *fere totam dogmaticam complectitur* et, cum *in scholastica theologia plene formatus esset, optime ad illa positiva studia erat praeparatus.*

Scheeben 1873: « Eruditio vastissima, operis perspicuitas, soliditas, concisa (in tanta materia) brevitas ab ipsis adversariis agnoscuntur, illudque per longum tempus cardinem formabat controversiae inter Catholicos et Protestantes ».

v. Hefele 1883: « Controversiae sunt *opus maius, quod usque* ad *hodiernum diem ad defendendam fidem catholicam, praecipue contra impugnationes Protestantium, conscriptum est,* atque tum ob eruditionem, quae in eo manifestatur, tum ob polemicam dignam, alienam ab omnibus conviciis adversariorum, auctori *immortalem gloriam* comparavit ».

Laur. Janssens O. S. B. 1900: « *Egregium opus* huius docti simul ac pii Cardinalis . . . nomine controversiarum *quasi totum ambitum catholici dogmatis complectitur* ».

Le Bachelet S. J. 1923: « l'un des principaux théologiens de la Compagnie de Jésus, et, comme controversiste l'un des plus savants et des plus habiles défenseurs de l'Église ».

Card. Ehrle S. I. 1928: « Eius intellectus, extraordinarie versatilis, erat *aeque aptus ad sublimissimam scholasticam speculationem atque ad historicam et philologicam indagationem,* quae tantopere necessaria erat ea ipsa aetate, in qua reformatores affirmabant, se principalia sua argumenta contra Ecclesiam desumere e dominio theologiae positivae ».

Principes saeculares

Speciatim volumina Bellarmini contra haereticos summis laudibus ornant: *Imperatores* **Ferdinandus III** 1644 et 1655, **Leopoldus I** uti rex Hungariae 1655; e *Regibús* **Philippus IV**

Hispaniae rex 1648; regina *Poloniae* **Maria Casimira** 1712; **Jacobus II** rex *Britanniae,* secundum quem nemo tam feliciter « debellavit errorum monstra quae nostra Aetas, praecipue autem Anglia nostra videt ac luget »; similiter eius uxor regina **Maria**; **Joannes Ludovicus,** Joannis III Sobievsky regis *Poloniae* filius. *Archidux Austriae* **Leopoldus** 1655. *Electores Bavariae* **Gulielmus V** († 1626) et **Maximilianus** 1645; **Ferdinandns Maria** 1655. Elector *Palatinus* **Wolfgangus Guilelmus** 1655. *Comes Palatinus* **Philippus** 1655. *Viri principes e Brabantia et Lithuania* 1713. Ex Italia 1713 *Archidux Etruriae et duces Mutinensis et Parmensis.*

De mente Gallicanorum et aliorum, qui non senserunt cum Ecclesia

Pugna externa et doli. — « Controversiarum » pars in Gallia per aliquod tempus vetita erat. Pugna Regalistarum et Jansenistarum contra declarationem virtutum heroicarum Bellarmini sub Ben. XIV causam habebat in timore, ne, canonizatione facta, influxus doctrinarum Bellarmini, Gallicanismo et Jansenismo tantopere adversantium, cresceret.

Pugna literaria. — **Launoi 1678** in epistulis plusquam ducenties novies decies cum Bellarmino contendit.

Bossuet 1682 indignabundus de Roma conqueritur: « Bellarmin y tient bien de tout et y fait seul toute la tradition! »

Episc. Maret 1869 de schola « italica et absolutistica », uti eam vocat, confitetur: « Bellarmin peut être regardé comme le chef de cette école ».

Turmel 1906: « l'histoire de la théologie positive, depuis Léon X, se présente à nous sous deux faces, selon qu'on étudie avant ou après Bellarmin... Aucun docteur catholique n'a eu autant d'adversaires et provoqué autant de resistances que Bellarmin ».

De mente Russorum

Etiam Russi ipso usu valorem scriptorum Bellarmini contra Protestantes agnoverunt. Inter « praecipuos theologos, qui tempore emendationis librorum liturgicorum *usque ad initium saeculi 18* in Russia floruerunt », numeratur **Symeon Petrovskii Sitnianovitch** (1629-1680), qui in opere magno inedito: « *Vienetz vierij* »..., i. e. « *Corona fidei* »... « laudat... etiam opera theologorum occidentalium medii aevi et recentioris temporis.... praecipue Bellarmini ». (*Jugie* 1926).

Stephani Iavorskii, eminentioris theologi *saeculi 18 incipientis* « praecipuum opus theologicum, quod est simul apologeticum et polemicum adversus Protestantes, jam indicavimus: *Kamen' viery,* id est *Petra fidei,* post annum 1713 composita et nonnisi anno 1728 primum edita, omnium confutationum, quas scripserunt Orientales adversus haereses Reformatorum, est sane praestantissima, et ipsam *Αντίρρησιν* Meletii Syrigi tum mole tum argumentorum pondere superat: siquidem auctor Catholicorum scripta de materia proposita optime noverat, ab eisque, praesertim vero a Becano et Bellarmino, non pauca mutuatur » *(Jugie).* Id quod amplius evolverat *Iohann Wassilij Morew* 1907 in articulo et praecipue in libro russico a. 1902-1904.

Haereticorum Iudicia Indirecta

1) Media externa, quae contra Bellarminum adhibebant, teste Brodrick erant: a) *Praelectiones:* Ita primarius sui temporis theologus in Anglia **Whitaker** in Univ. Cambridge; **Reynold** in Oxford ter per hebdomadam; **Paraeus** in Heidelberg per totum annum. — b) *Discursus et praedicationes:* Field in Oxford per annos omni die Dominica; more usitatissimo praedicatores in Cambridge, quin tamen ipsis Academicis se probare solerent. — c) *Scripta:* intra 100 annos circiter, postquam editae sunt Controversiae, in **Europa septentrionali 200 fere con-**

futationes Protestantium numerantur, quarum quaedam 3-4 volumina continent. - Speciatim in Anglia primus **Whitaker** iam 1588 « Disput. de S. Scriptura .... imprimis contra Bellarminum et Stapleton » scripsit; in Oxford Reynold iam 1596 aliquem librum, 1611 completum corpus 250 lectionum Oxfordiensium contra Bellarminum composuit. Imo « **moraliter loquendo omnes magni theologi Anglicani** », ab **Hooker usque ad Pusey,** etc., contra Bellarminum scripserunt. — d) *Instituta:* **Paraeus David** in Univers. Heidelbergensi anno fere 1600 circulos academicos studiorum contra Bellarminum fundavit. **Jacob I** 1609 in Chelsea prope Londinum primum lapidem posuit Collegii, in quo contra papistas scriberetur, quod collegium Sutcliffe, principalis adversarius Bellarmini in Anglia, a rege impetraverat. Porro 1687 **15 docti, inter quos 1 archiep. et 6 episcopi inter se foedus inierunt,** ut scriptum contra 15 notas componerent, quas Bellarminus pro Ecclesia statuit. - In Gallia **synodus nationalis Hugenottorum** decidit, ut *certamen refutandi* Bellarminum inter *varias provincias divideretur.*

2) Modi et methodi Protestantium in pugna contra Bellarminum. Utique non deerant, qui tantum adversarium serio confutare niterentur. At aliquando ii ipsi, saepissime vero alii iis modis et methodis utebantur, quae id unum ostendunt, quantopere vim demonstrativam Controversiarum metuerint. Praeterquam quod saepe stilo iniurioso et vilissimo Bellarmium impetebant — id quod etiam vitium eius aetatis erat —: 1) In diversis populis per diversa opera eiusmodi *calumnias* spargebant, quales, ut ait Gretser, « neque contra Neronem neque contra Heliogabalum » prolatae sunt, quibus tum de eius vitae criminibus tum de eius impia morte (adhuc vivebat!) agitur. — 2) Inter alios praecipue **du Jong** in Gallia, **Danaeus** in Germania asserebant, non ipsum Bellarminum Controversias *composuisse,* quippe cum hoc impossibile sit, sed *totam phalangem Jesuitarum;* Bellarminum vero sibi soli ambitiose gloriam arripuisse. — 3) Operam dabant, ut *quaedam vel minima minus recte ab eo dicta detegerent,* quibus detectis, quasi de re summi momenti ageretur,

triumphum agebant. — 4) Saepe sensum pervertere non verebantur; v. g. ab initio usque ad finem saeculi 19 expositionem Beati de infallibilitate Rom. Pontificis in rebus morum pro male morata habebant. — 5) Demonstrare nitebantur (v. g. **Joannes Gerhard,** praecipuus Scholasticus theologus Lutheranorum in Germania), Controversias *Protestantismo favere.* Imo **in Anglia communiter** docebant, Bellarminum interne quidem Protestantem esse, tantum externe, metu curiae Romanae motum, catholica docere. — 6) Aliquando etiam, teste Card. Pacca, in Germania, sane contra principia Protestantismi, *impedire* nitebantur, *ne Controversiae legerentur.*

3) Persuasio, doctrinam Bellarmini esse ipsam Ecclesiae doctrinam, eorum mentibus insita erat. Quae eorum universalis mens et doctrina constat e testimoniis Card. Dietrichstein c. 1621 de *Germania,* celeberrimi P. Coton 1613 et Cardinalis Ubaldini de *Gallia,* Brodrick de *Anglia;* item e textibus haereticorum, v. g. **Hall.** Patet, quantus honor hac eorum persuasione doctrinae Bellarmini accrescat.

Graecorum et Russorum modus agendi

Ad testimonia haec Protestantium suo modo reducitur, quod tum **initiator motionis Protestanticae in Russia, Theophanes Procopovitch (1681-1736),** « tum **eius emendatores et recognitores** ad theologos protestantes passim provocant, dum scholastici catholici, praesertim *S. Thomas et B. Bellarminus,* nigro lapillo notantur, et *dicteriis insectantur* » *(Iugie).*

Graecos quod spectat, nominamus opus **Gabrielis Severi 1627:** « Expositio adversus eos... qui... Ecclesiae orientalis filios... esse schismaticos dicunt », Constantinopoli I. Praecipue adversus **Bellarminum et Possevinum** agit. *(Iugie).*

Testimonia directa Haereticorum.

Controversias uti opus summi momenti extollunt v. g. **Whitaker 1588,** quem Bellarminus pro doctiore inter omnes suos

adversarios habuit: « Illum judicavi, inquit, virum sane doctum, ingenio felici, judicio subtili, lectione multiplici praeditum; qui soleret etiam apertius, ac simplicius agere, quam reliqui consueverunt Papistae; ut *argumentum pressius urgeret, et arctius ad causam adhaeresceret* ».

Episc. **Montagu 1635**: « ... *lectionis stupendae* Bellarminus: qui ut primus, ita solus immanem illam molem, et immensum *Chaos controversiarum,* stupenda ingenii dexteri felicitate, artificio singulari excoluit, *in ordinem redegit* confusum prius: *accurata diligentia*, et multorum annorum studio eleganter *expolivit:* praeripuit ille palmam secuturis omnibus, et sibi desponsam vel destinatam cuicumque laudem abstulit. Nam ab illo, qui tractant hodie controversias, ut ab Homero poetae, sua omnia fere mutuantur ».

Bayle 1697: « *il n'y a point d'auteur qui ait soutenu mieux que lui la cause de l'Église Romaine en générale et celle du pape en particulier* ».

Mosheim 1755 « ... aliquot magnae molis voluminibus omnes ecclesiae suae controversias complexus est, stilique perspicuitati argumentorum copiam adiiunxit... solus plane maximorum ex Protestantibus virorum vires et impetus in se convertit ».

Menzel 1833: « la difesa della Chiesa Romana viene allo stesso tempo utilizzata come arma di attacco contro i suoi avversari, *con maggior forza, minuziosità ed abilità di quello che sia stato fatto da altri, sia prima che dopo di lui* ».

Historicus **v. Ranke 1886** et Theologus **v. Hase 1900**: Bellarminum esse *maximum Controversistam Ecclesiae catholicae.*

Harnack 1909: Controversistae Catholici « habent fundamentum suum in celeberrimo opere Bellarmini: *Disputationes* ».

Encyclop. Britannica 1910: Controversiae « exhauserunt controversiam » secundum statum eius aetatis.

Omittimus alia in tractatione ampliore allata.

B). — MINORA SCRIPTA DOGMATICO-POLEMICA

1. — CIRCA 13 SCRIPTA, QUAE PRAESERTIM DE ROM. PONTIFICE ET ECCLESIA AGUNT

Plurima ex iis scriptis data opera de potestate indirecta Rom. Pontificis et Ecclesiae in res temporales tractant. — Scripta ordine chronologico disponimus, qui tamen in hac re de facto fere cum logico convenit. — *Iudicium generale:* secundum v. Frentz « Bellarminus etiam his scriptis titulum gloriosum defensoris iurium s. Ecclesiae et sedis apostolicae in perpetuum sibi in tuto collocavit ».

Scripta diversa

De translatione Imperii Romani a Graecis ad Francos adversus Flaccium Illyricum

Origo et indoles libri. — Flaccius Illyricus 1577 edidit librum: *De Translatione,* etc., cuius doctrinae apud Germaniae principes multum spargebantur. Unde Bellarminus scripto, quod composuit quidem 1584, edidit vero 1589, demonstrare intendit, 1) Translationem Imperii a Graecis ad Francos, 2) deinde a Francis ad Saxones, 3) item privilegia principum Electorum originem suam habere a Romano Pontifice.

Judicia. - E Catholicis **Card. Sirletus**: se numquam meliorem librum de hac re legisse; **Possevinus** et **Card. Baronius**: librum esse solidum et efficacem. Protestantes saltem 5 scripta contra illum composuerunt. Defendit vero Bellarminum v. g. justo libro magnus **Gretser.**

« Responsio ad praecipua capita apologiae.... pro successione Henrici Navarreni.... »

Cum multi scriberent contra Bullam Sixti V 1585 editam, qua Henricus excomunicabatur, regno privabatur, etc., Bellarminus, ut videtur hortatu eiusdem Sixti, sub nomine Francisci

Romuli 1586 edidit: « Responsio ad praecipua . . . », in qua stilo moderato, at clarissime secundum principia catholica Bullam defendit. Evolvit praecipue in 3ª parte doctrinam scripti: « De Translatione Imperii . . . ».

« Responsio ad librum anonymum, cujus titulus est: Aviso piacevole dato alla bella Italia... »

Ipse liber. — *Liber haereticus, contra quem Bellarminus scripsit.* — Calvinista quidam Gallus, ut videtur, mox post excommunicationem Henrici IV per Sixtum V, librum edidit, in cuius parte prima demonstrare nititur, papam esse Antichristum; in secunda e textibus poetarum Dante, Petrarca, Boccaccio ostendere satagit, eos celebres Italos, uti alias doctrinas catholicas, ita papatum negasse; in tertia parte 51 poemata satyrica addit.

In « *Responsione* » Bellarminus eundem ordinem sequitur; praecipue secundam partem refutat, imo textibus eorum ipsorum auctorum Italorum, praecipue Dante, ostendit, eos plane orthodoxos fuisse.

Iudicium de Responsione. — Ita « sorvolando i tempi... con una certa finalità sua propria... con l'acutezza del suo genio... difese tutto il patrimonio intellettuale da Dante rappresentato ». In quo Bellarmini scripto iam habetur « *comunanza di vedute critiche e di sistema di difesa* » *cum epistola Leonis XIII 1892 et Encyclica Benedicti XV de Dante* (**de Biase**).

De exemptione Clericorum

Opusculo hoc, quod 1599 editum est, Bellarminus magis determinat atque complet, quae in Controversiis de hac re docuerat. Postea id insertum est in Controversiarum libro primo, in parte: De membris Ecclesiae, efficitque capita 28-30. Defendit, clericos a potestate saeculari in rebus ecclesiasticis exemptos esse ipso iure divino, in temporalbus vero iure gentium, i. e. eiusmodi iure divino, quod determinatione et sanctione positiva egeat.

Scripta de interdicto reipublicae Venetae pronuntiato a Paulo V

Ipsa scripta. — I) Occasio horum scriptorum. — *Contra interdictum,* quod Paulus V 1606 ob laesam potestatem indirectam Ecclesiae pronuntiaverat, plurimi scripserunt, inter quos notissimus Sarpi cum 6 aliis theologis reipublicae Venetae. E catholicis quoque plurimi — plures quam 40 — *pro interdicto* scripserunt, inter quos etiam Bovio et Card. Baronius. Jussu Pontificis etiam Bellarminus in arenam descendit.

II) Momentum controversiae, circa quam versantur haec scripta, in eo situm est: primo quod ipsa potestas indirecta Ecclesiae res summi momenti est; secundo quod auctores pro Venetis agentes ipsam subjectionem sub Rom. Pontifice, etc., impugnabant.

III) Quae sint singula scripta Bellarmini et quae tractent. — Omnes habent titulum: « **Risposta...** », expresso deinde titulo libri adversarii. Primum est **contra Joan. Marsilium** de validitate interdicti Pauli V et de ipsa potestate indirecta Pontificis. — Secundum, **contra Anonymum (Sarpi),** refutat tum **duo opuscula Gersonis a Sarpi edita,** quibus potestas excommunicandi in papa immerito restringitur, tum praefationem ipsius Sarpi ad ea. Tertium hanc responsionem **contra Sarpi** defendit. Quartum, **contra 7 illos theologos Venetos** simul sumptos, 19 propositiones eorum contra interdictum refutat. Quintum, iterum **contra Marsilium,** demonstrat, eum sententiam Cardinalis de potestate indirecta pervertisse. — Etiam in his scriptis stilus moderatus est.

Judicia de his scriptis. — Quaedam ex iis pluries in Italia edita, et in alias linguas translata sunt. Testatur **v. Pastor:** « *Scripta maioris inter omnia momenti contra doctos illos Venetianos Bellarminum auctorem habent* ».

Scripta 3 (4) contra iuramentum fidelitatis a Jacobo I impositum

Duo scripta Bellarmini ad regem prius destinata. — Jam 1600 Bellarminus ei respondens, **epistulam ad Jacobum I** dederat, qua eum de verae Ecclesiae signis edoceret. — Deinde 1604-1605 scriptum amore plenum ad eum direxit « *Ἱερατικὸν δῶρον* », in quo diversa corrigere debuit asserta, quae rex scripto « *Βασιλικὸν δῶρον* », ad filium Henricum de modo gubernandi instruendum, contra fidem catholicam, et speciatim contra iura Pontificis, asperserat.

Occasio scriptorum contra iuramentum fidelitatis. — Anno 1606 Jacobus I subditis catholicis *iuramentum fidelitatis* imposuit, quod de facto quidem regi summam auctoritatem etiam spiritualem ascribebat, verbis tamen ejusmodi erat expressum, quae proxime potius solam potestatem indirectam Pontificis apertius oppugnare, imo quibusdam minus exercitatis vel minus dispositis mere civilem obedientiam continere videbantur, ita ut Archipresbyter Blackwell cum parte quadam Catholicorum iuramento subscriberet. Quare Paulus V illud per 2 Brevia 1606 et 1607 condemnavit, eo quod « multa contineat, quae fidei et saluti aperte adversantur ». Haec ergo occasio fuit, quae Bellarminum « in controversiam omnium suae vitae maximam involvit ». Quae controversia periodos habet 4.

Ipsa scripta singula. — 1) Jubente Pontifice Bellarminus 1607 **epistulam ad Blackwell** misit, qua eum fraterne ad resipiscentiam hortatur. — Cuius epistulae *effectus* fuit, ut *a*) multi catholici iuramentum iam emissum revocarent; *b*) rex per scriptum: « Triplici nodo (i. e 2 Brevibus Pauli V et epistulae Bellarmini) triplex cuneus » responderet. Duabus partibus huius libri rex contra Bellarminum agit, praecipue contra eius Controversias. Se auctorem huius libri esse rex non aperte confitetur, at indicat.

2) Igitur iubente Pontifice, atque exemplo regis nomen suum non aperte confitens sed indicans, Bellarminus respondit regi 1608 per scriptum « **Responsio Matthaei Torti ... ad Librum... Triplici Nodo...** ». In hac responsione *a*) methodo plane praeclara e formulae iuramenti conditionibus et textu ostendit, illud revera obedientiam regi ut capiti spirituali praestandam continere; *b*) singula contra Bellarminum dicta reicit. — *Effectus* eius responsionis mirabilis plane fuit: *a*) Catholici iterum multi subscriptionem retractarunt vel ab iuramento emittendo abstinuerunt. *b*) Rex confusione, imo timore plenus, librum vetuit, etc., atque, ab episcopis quatuor adjutus, per menses praeparavit responsum, cuius est titulus: « Apologia pro iuramento Fidelitatis », 1609. — Haec « Apologia » consistit in emendata editione libri prioris « Triplici nodo... », cui tamen additur nova « Praefatio Monitoria » ad imperatorem caeterosque principes christianos. Haec longior est quam totus ille liber prior, attentionem tamen ab impietate iuramenti potius avertit, 21 locos e Controversiis carpens, etc.

3) Denuo, iubente Pontifice, Bellarminus, expresso nomine suo, respondit per librum « **Apologia pro responsione sua ad librum Jacobi...** », quod scriptum theologiae Patristicae atque historicae ecclesiasticae thesauros continet. **Paulus V**, scribens ad Nuntium Ubaldini iudicat, illud continere, « *vera e soda dottrina* ».

4) Tandem cum catholicus quidam, qui se nominavit Widdrington, 1611 pro iuramento fidelitatis scriberet, Bellarminus 1612 composuit « **Examen ad librum... auctore Widdringtono...** ». Quod « Examen » 1612 Romae impressum quidem est, at, desiderante Paulo V ob rationes opportunitatis, non est vulgatum. Bellarminus tamen illud Nuntio apostolico Coloniam misit, ut id, si quis libro Widdrington responsurus esset, « materiae ac subsidii vicem subiret ». Ac re vera eo usus est sacerdos quidam, nomine Schulcken, in libro « Apologia Adolphi Schulcken... ». Qui auctor tamen praeter alia in « Examine » Cardinalis mutata, sextam partem libri de suo addidit. Hic liber, ob 11 locos

additos et unum vehementius expressum quam a Bellarmino factum erat, Parisiis flammis traditus est, utpote qui esset « damnosus vitae et auctoritati regum ». Nempe Schulcken non gaudebat ea moderatione, quae erat propria Bellarmini. — De libro, prouti e manibus Card. Bellarmini prodiit, celeberrimus **Anton. Zaccaria** ita iudicat: « Opusculum istud est egregium, et pro defensione authoritatis Pontificiae insigne... »

« Tractatus de potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus »

Indoles operis. — Occasio scripti. — 1609 editum est opus postumum **William Barclay,** catholici, « De potestate papae an et quatenus in reges et principes saeculares ius et imperium habeat ». Quod opus potestatem indirectam Rom. Pontificis in res temporales negat. Porro quamvis tunc temporis doctrina de potestate hac indirecta esset sententia communis auctorum catholicorum, nihilominus Barclay solum Bellarminum oppugnat, ac si ea doctrina eius solius esset. Professores Parisienses ii omnes, qui maioris auctoritatis erant, librum Gulielmi Barclay « utilissimum » declararunt.

Doctrina, divisio scripti. — Praemissa doctrina tum doctorum catholicorum e diversis terris tum Conciliorum de potestate indirecta Pontificis, Bellarminus prius singula argumenta Barclay diluit, deinde singula argumenta a se in Controversiis allata defendit.

Iudicia indirecta. — 1) *Gallicani immani ira* librum Bellarmini prosecuti sunt. *Duces eorum coram regina edixerunt, librum hunc esse « magis impium, detestabilem, perniciosum omnium, qui unquam impressi sint ».* Parlamentum 1610 sub poena feloniae vetuit illum haberi vel propagari. — 2) **Nuntius apost. Ubaldini** vero, minatus se abrupturum esse « relationes diplomaticas », a regina obtinuit, ut illud decretum Parlamenti

saltem « suspenderetur », quamvis procurator generalis Parlamenti coram ea declararet: « Nunquam Parlamentum tali opprobrio affectum est ».

II. — CAETERA SCRIPTA DOGMATICO-POLEMICA

CONTRA PROTESTANTES

« Iudicium ... de libro, quem Lutherani vocant Concordiae »

Cum Lutherani 1580 germanice, 1584 latine edidissent famosum « librum Concordiae », Bellarminus 1585 responsum confecit, in quo 6 gravissimos eius libri errores de Christo, et 67 alios diversi generis refutat. — Editiones habuit 5, praeterea versiones diversas germanicas.

Universa facultas theologica Wirtembergensis iam 1586-1587 refutationem edidit, contra quam Bellarminus 1599 libro suo priori addidit « Brevem apologiam pro hoc libro ». Secutae sunt aliae refutationes Protestantium saltem 7 usque ad a. 1675.

Refutatio libelli de cultu imaginum. - De indulgentiis et iubilaeo.

Parvula « Refutatio » postea Controversiis addita est.

Scriptum de indulgentiis compositum est occasione Jubilaei 1600, additum tamen tractatui de poenitentia in posterioribus editionibus Controversiarum. De eius indole Bellarminus in praefatione hoc ait: « ... potissimum controversias explicandas susceperim, quae de indulgentiis inter catholicos, haereticosque versantur, tamen attingam etiam illas, quae inter catholicos, salva fide, veritatis indagandae vel illustrandae gratia disputantur ». Libro primo quaestiones dogmaticas pro catholicis discutit et evolvit; secundo aggressiones haereticorum recentiorum refutat. — De quo scripto **Le Bachelet** iudicium hoc profert: « *Traité complet sur les indulgences* ».

REFUTATIO HAERESEUM ET ALIARUM DOCTRINARUM FALSARUM BAII

I. — Occasio refutationis. — Vixdum S. Pius V 1567 plusquam 70 sententias Baii uti haereticas vel sub alia censura damnaverat, cum Bellarminus 1570 praelectiones suas Lovanii incepit, ubi eo tempore, uti ipse se exprimit, « pars maxima Universitatis » Baium, tunc Cancellarium suum, « publice et privatim defendit ».

II. — Modus refutationis. — Explicando Summam S. Thomae Bellarminus omnes et singulas sententias Baii e Scriptura, Patribus, ratione theologica refutat, idque in forma stricte scholastica. Tacet tamen nomen Baii, atque tantum eiusmodi auctores nominat, qui easdem doctrinas iam antea docuerant. — Praeterea sibi uni Bellarminus scriptum aliud composuit, in quo eas sententias falsas in corpus quoddam ordinatum collegit, rationesque refutationis singularum breviter indicavit. — Has refutationes omnes, forma quidem breviore et minus scholastica, in suas Controversias inseruit.

III. — Momentum et utilitas huius refutationis *maxima erant*. Nam 1) Bellarminus iam quando professorem Lovanii agebat, tum Lovanii tum in tota Europa, magna fama gaudebat. 2) Refutatio omnis, ipsam rem quod spectat, cum, ut diximus, in Controversias inserta sit, ad tot coetus et homines in Ecclesia penetravit, ad quot ipsae Controversiae.

SECTIO II.

LABORES AD FONTES THEOLOGICOS PERTINENTES

A) — AD S. SCRIPTURAM

1) LINGUISTICA, ETC.

1) « **Notae in Genesim** », Lovanii. Secundum **Vaccari** Bellarminus in hoc scripto diligenter versatur in critica textus, quaestionibus archaelogicis : plurimam lectionem et bonum iudicium in sententiis exegeticis eligendis manifestat. Non est editum.

2) « **Institutiones Linguae hebraicae...** », seu parva grammatica hebraica. Linguae usum et artem, non scientiam persequitur. Lovanii composita, impressa Romae 1578, saepe edita et manibus omnium versata est.

3) Bibliam quandam plurimis notis praecipue hebraicis instruxit ; etiam nunc res manet inedita.

2) AD EDITIONEM SCRIPTURAE.

AD EDITIONEM LXX

Sub Gregorio XIII et Sixto V Bellarminus erat membrum Commissionis ad editionem LXX praeparandam quae, uti notum est, textum egregium nobis dedit.

AD EDITIONEM VULGATAE LATINAE

1) Magna fuit *auctoritas* Bellarmini in eo textu « plane optimo » parando, quem **Consilium iam tertium** edendae Vulgatae **sub Sixto** constitutum proposuit. **Höpfl 1913** ait : « Non

errabimus, si assumimus, (Consilii eius viros doctos) regulas, *quas Bellarminus* pro usu textus originalis biblici *proposuerat, et approbasse et secutos esse* » ; **Dom Quentin 1922** vero : « Évidemment, si ces propositions du cardinal Carafa avaient été adoptés, le texte de la Vulgate aurait aujourd'hui infiniment moins de progrès à faire ». Notum est, Sixtum V hunc textum in peius mutasse.

2) *De auctoritate* Bellarmini in **Consilium quartum (sub Gregorio XIV).** — Consilium hoc voluit, Bibliam Sixti V, ob permulta non recte in ea posita, publice prohiberi. At Bellarminus **modum** sapientissimum, deinde a Pontifice probatum, **invenit,** *quo simul scientia, fides, reverentia* erga *S. Sedem atque praecipue Sixtum V salvae essent. Scientia* salva erat, quia Bellarminus voluit, tantum emendari illa loca, « quae sine ullo fundamento aut ratione, et contra fidem omnium codicum latinorum, graecorum et hebraeorum sublata, addita vel mutata sunt ». (Auctarium 452). Haec enim emendari, *scientia sane postulabat,* uti patet. Unde **Höpfl** : « Qui sine praeiudicata opinione et ex scientiae normis Bibliam Sixtinam examini subicit, concedere debebit, *propositionem novae correctionis fuisse optime fundatam* ». At idem requirebat *causa fidei*, quia alias Protestantes, « prolatis in medium locis (his) depravatis in Sixti V bibliis, demonstrarent... Pontificem auctoritatem sibi arrogasse supra verbum Dei ». *Reverentiam* erga Sixtum salvam fuisse ex eo manifestum est, quod Bellarminus proposuit, Bibliam quam celerrime sub nomine etiam Sixti edi.

3) Cum autem consilium hoc quartum certis regulis careret ideoque in eligendis lectionibus parum tuto et nimis lente procederet, Bellarminus « **Voto** » quodam regulas tales indicavit et alia consilia addidit, uti de restringendo numero consultorum et de laborum ratione mutanda. De quo « Voto » ita **Höpfl** : « *Quae Bellarminus proposuerat, correctoribus placuerunt,* proindeque Consilium magis restrictum est ». « *Decisio facta utilissima fuit,* cum 19 diebus totus labor finitus sit ». Atque **Le Bachelet** *Bellarminum huius novi Consilii « animam » dicit.*

4) Tandem Bibliis hoc modo absolutis, Bellarminus **duobus « Votis »** proposuit, ut editiones Vulgatae ab aliis factae minime vetarentur. Inter rationes 17, quas Votum secundum proposuit, continentur etiam quaedam scientiam et fidem spectantes, v. g.: ut melior intelligentia textus habeatur; ne haeretici multas difficultates moveant. Quod consilium **Höpfl** dicit fuisse « *optime fundatum* »; Pontifex illud probavit.

5) Postremo Bellarminus proposuit, ut ea exemplaria Bibliae Sixti V, quae iam in aliorum manibus versabantur, a S. Sede coemerentur. Hoc autem ideo *necessarium* erat, ut exponit **Höpfl**, ne iterum regnaret confusio, uti ante Tridentinum; ne porro haeretici differentiis inter utramque editionem abuterentur, quod periculum adfuisse testatur « Bellum Papale » a James conscriptum. Unde videtur, quam recte **v. Pastor** dicat: *l'influenza del Bellarmino « sotto Gregorio XIV risalta molte volte decisiva nella questione della Volgata »*, atque cur ipse **Pius XI** in Brevi Beatificationis asserat: « Ei a Gregorio XIV commissum est Sacram Scripturam una cum aliis doctis viris emendandi munus; *quod opus immane alacri pectore idem aggressus, ut splendide absolveretur multum adlaboravit* ».

3) SCRIPTUM DE « AUTHENTICITATE VULGATAE »

Post 1580 Bellarminus composuit scriptum « De editione vulgata, quo sensu a Concilio Tridentino definitum sit, ut pro authentica habeatur ». Probat auctoritate theologorum saeculi 16 et rationibus, authentia Vulgatae nihil aliud edici, quam hoc: « eam sine errore omni esse in rebus fidei et morum, eam solam inservire debere in usu publico ecclesiarum et scholarum, quamvis caeterum errores in ea inveniri possint ». Unde *Institutiones Biblicae* **Pontifici Instituti Biblici** I[3] 1929 inter 6 auctores, qui ab initio usque ad haec tempora de hac authentia « egregie scripserunt », primo loco ponunt Bellarminum. **Höpfl** vero hoc iudicium profert: « *Inter eos theologos qui soli recte de intentione Decreti Trid. docuerint* », « *primus locus debetur doc-*

tissimo Bellarmino », partim ob doctrinam rectam in Controversiis contentam, sed praecipue ob scriptum illud speciale, quod sit « *clarissimum* », atque arguat « *argumentis vere attendendis, clare conceptis* ».

4) OPUS EXEGETICUM « IN PSALMOS EXPLANATIO »

Ipsum opus. — 1) Origo. — Incepta est haec explanatio a. fere 1600, finita 1610, edita 1611. Est 1 vol. in Fol.

2) Proprietates : *a*) Quamvis Bellarminus cum plerisque doctis sui temporis contra Protestantes et quorundam Catholicorum audaciam, excellentiam Vulgatae (et ob eam etiam versionis LXX) nimium extollat, tamen cum labore haud exiguo ipsum *textum stabilire* solet, ut in eo fundamentum literalis explicationis habeat. Quam ob rem in omni fere versu recurrit ad textum hebraicum secundum recensionem Massoretarum, graecum LXX, versionem Hieronymi ex hebr., Veterem Latinam, variantes Romani (Vaticani) Psalterii, hinc inde etiam ad alios textus vel versiones e Patrum scriptis hauriendas.

b) E textu ita stabilito eximia cum cura *sensum literalem eruere* satagit, eumque *tum singulorum versuum tum psalmi totius qua totius.* Imo, ut refert Galdos in manuscripto quodam, Zenner qui ipse diversa de Psalmis edidit, « laudavit Bellarminianum prae aliis Psalmorum commentariis propterea quod, dum alii phrases singularesve voces prosequi et aucupari videntur, ipse totius Psalmi sensum profunde penetrat atque dilucide explicat ».

c) Sensu literali scientifice explicato *adiungit sensus copiosissimos spirituales,* sive mysticos sive asceticos, affectus piissimos atque tum propriae sanctificationi tum aliorum profectui utilissimos. « Atque in hac spiritualium sensuum exornatione atque copia specialissimum constituitur Bellarminianarum explanationum in Psalmos meritum ». Quam procedendi rationem, utpote ab apostolis acceptam et Ecclesiae usu probatam, tum Leo XIII in Encyclicis litteris « Providentissimus » laudat (Ench. Bibl. n. 97), tum Benedictus XV in Encycl. « Spiritus Paracli-

tus » et S. Hieronymi exemplo et sua ipse auctoritate commendat (ib. n. 499).

d) Haec omnia Bellarminus cum facit, pro more et « brevitati et perspicuitati » studet (Praefatio ad Paulum V).

Iudicia Catholicorum. — Indirecta. — Editiones habentur saltem 35: 19 in Gallia, 9 in Italia, 5 in Germania, 2 in Belgio; versiones in linguas 4: gallicam, hispanicam (2 in ms), anglicam, arabicam; compendia saltem 3 (saeculo 18, 19, 20).

Directa. — **Richard Simon 1685**: « ... *méthode bonne et digne de lui...* ». — **Hefele 1883**: " si temporis ratio habeatur, egregius dicendus ... *plurimis novis commentariis ... merito praeferendus* ». — **Cornely 1897** docet, ex « aureo exegeseos catholicae saeculo » i. e. primo post Concilium Tridentinum, sex Psalmorum commentatores « caeteris omnibus praestare », inter quos 6 iterum *praeferendos esse hos 4: Agellium, Bellarminum, de Muis, Lorinum; postea neminem his fuisse superiorem, vix ullum aequalem.* — **Vigouroux**: « *également utile pour le sens littéral, mystique et ascétique* ». — **Lesêtre** fere idem habet. — **Institutiones Biblicae Pont. Inst. Bibl. I**[3] **1929**: « *scientiam cum pietate utilissime coniungit,* unde et saepissime excusa est ». — **Brodrick**: eam « in tribus ultimis saeculis innumeras animas adiuvisse ut in sanctitate progrederentur ».

Testimonium luculentum de valore huius explanationis audimus etiam e **Russia.** Etenim ex *exegetis* russis *ad schisma pertinentibus* **Klementievskii,** qui 6 volumina operum exegeticorum (1787-1814) conscripsit, « reliquit etiam interpretationem Psalmorum, quam a B. Bellarmino mutuatus est ». *(Iugie).*

Iudicia Protestantium. — « Protestantes quoque huius Commentarii pretium agnoscunt », uti ait Cornely. **V. g. Diestel** 1869: « egregiam methodum; » **Delitzsch** 1894: Bellarminus « ad hoc opus non tantum extraordinaria dona naturae, verum etiam — utique intra fines idearum papisticarum — profundum de rebus iudicium affert ».

B) AD TRADITIONEM

« DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS »

Indoles. — Lovanii, ut se ad legendum theologiam in schola pararet Bellarminus legit, uti iam diximus, « fere omnes Patres, et historias et multos scholasticos Doctores et concilia vel eorum summam et etiam totum fere corpus Canonicum ». 2) Uti fructum horum studiorum sibi uni ad usum scripsit librum « de scriptoribus ecclesiasticis ».

In eo 1) vitam et scripta 500 fere auctorum a Mose usque ad a. 1500 post Christum describit, 2) scripta suppositicia a genuinis, 3) doctrinas orthodoxas a vitandis distinguit. Cum hic liber in forma ms per decennia multorum manibus tereretur, atque periculum immineret, ne post mortem Bellarmini imperfectus et mutilus ederetur, Bellarminus senex eum « recognovit, expolivit, auxit », et 1613 edidit.

Iudicia Catholicorum. — INDIRECTA. — Editiones habentur c. 20; *Patrologi eximii librum dignum putarunt, quem deinceps perfectiorem* redderent vel *usque ad sequiora tempora perducerent*: **Sirmond 1617, Labbe 1658, Saussaye 1648, Oudin 1686.**

DIRECTA. — **Labbe:** « *haud satis scio an alterum scriptum hisce nostris temporibus extiterit fructuosius, et studiosorum omnium profectui accomodatius* ». — **Andrés † 1817:** « una piena cognizione, un tatto sicuro ed un fine discernimento per conoscere gli autori, giudicare del loro merito, comprendere le loro opere, e distinguere le vere e sincere dalle supposte ed adulterate. E ciò egli fece con tanta precisione ». — **Bardenhewer 1913:** « Praeclara perfecit »; Bellarminum cum Le Nourry, Ceillier etc. connumerat. — **v. Frentz:** « pro statu indagationis historiae eius aetatis opus valde solidum ». — **Brodrick:** « mirabilis eruditione et maturitate. Si Pater Bellarminus nihil aliud scripsisset, tamen emineret inter doctores eius aetatis ».

Iudicia Protestantium. — **Vogler:** « *qui inter praecipuos huius argumenti libros non immerito numeratur* ». — **Fabricius 1722:** « *singularem apud eruditos, etiam protestantes, consecutus est approbationem* ».

MERITA BELLARMINI DE DOCTRINA S. THOMAE

1) Universitas Lovaniensis nonnisi 1596 S. Thomae *Summam ut librum textus introduxit,* Bellarminus vero iam 1570, in Collegio Lovaniensi S. I., hoc fecerat.

Quatuor volumina ms harum praelectionem ostendunt, Bellarminum in praelectionibus Lovaniensibus secutum esse S. Thomam « omnino *secundum ordinem quaestionum, explicando, evolvendo, complendo* ».

2) *Quanta in Bellarminuo fuerit S. Thomae aestimatio atque in eum amor,* v. g. ex his patet: Quoties, quanto cum honore eum *in Controversiis* efferat, nemini ignotum est. Cf. elenchum quendam apud de la Servière.

Inter alias *praeclaram quandam rationem huius aestimationis dat* in loco quodam Praelectionum Lovaniensium: Impellere nos debet ad mysteria Trinitatis cognoscenda « etiam methodus admirabilis, et facilitas nostri authoris. Tanto siquidem ordine, tanta facilitate, tanta brevitate nobis omnia proponit, ut ego omnino affirmare audeam, si quis diligenter in has D. Thomae paucas quaestiones incumbat, nihil ei difficile vel in scripturis, vel in conciliis, vel in patribus de Trinitate futurum ».

3) Ex una parte noluit utique Bellarminus, idque ob diversas rationes, professores S. J. ad omnes S. Thomae sententias astringi, uti neque ipse Bellarminus ita S. Thomam secutus est. Ex alia parte tamen id proposuit, ut ab iis haberetur « tamquam ordinarius et communis auctor », et *in Congregatione Generali quinta,* cui interfuit, *multum egit, ut hae magni momenti ad sequendum S. Thomam normae conderentur:*

« Sequantur Nostri Doctores in Scholastica Theologia Doctrinam S. Thomae, neque deinceps ad Cathedras Theologicas promoveantur, nisi qui Sancto Thomae bene affecti fuerint, qui vero eiusdem Authoris parum studiosi, vel etiam ab eo alieni sunt, a docendi munere repellantur. Philosophiae vero Professores de Sancto Thoma nunquam non loquantur honorifice; libentibus illum animis, quoties oporteat, sequendo ».

SECTIO III.

OPERA CATECHETICA

CATECHISMI DUO

Ipse liber. — I. Origo et scopus. — Bellarminus, hortante **Card. Tarugi** Oratoriano et iubente **Clemente VIII,** 1597 composuit « Dottrina cristiana Breve » ad usum puerulorum, 1598 vero « Dichiarazione . . . . della Dottrina cristiana » ad usum eorum, qui puerulos docent.

II. Proprietates. — 1) *Orthodoxia perfecta.* Post Catechismum Rom. nullus ab Ecclesia tantopere commendatus esse videtur; porro usum in plurimis Ecclesiae partibus obtinuit. Unde *Mamachi O. P.* eum « orthodoxorum omnium communem » dixit; quidam auctores eum nominarunt « Romanum ». Ipse princeps Kaunitz testatur, eum in Lombardia fuisse habitum « qual Classico nella Dottrina Dogmatica ». - 2) *Claritas* plane perspicua, quae a nemine negari videtur. - 3) *Brevitas* summa, quae non necessaria, praecipue si memoriae difficilia sunt, resecat. - 4) *Stilus* tum *concisus* tum *familiaris,* quin tamen fiat vulgaris, et pietatis unctione perfusus. - 5) *Forma dialogi duplex:* interrogat magister et respondet puer in Catechismo minore, contra in « Dichiarazione ». - 6) Intuitus quasi extraordinarius, quo se *parvulorum et memoriae et ingenio accomodat.*

III. Divina Providentia Bellarminum ad talem catechismum scribendum praeparasse videtur. — *Ad rem quod attinet,* munus professoris theologiae dogmaticae Lovanii, Controversiarum Romae multum contulit; *ad modum* vero, inclinatio ad Catechismum docendum a puero; munus docendi pueros in Collegiis S. J.; praecipue vero officium (quod Romae, cum pro-

fessor Controversiarum esset, tenuit) explicandi fratribus Laicis Catechismum, quas catecheses integras, antequam eas proponeret, scribebat.

Iudicia indirecta. — 1) *Editiones* numeravi plus quam 320, *versiones* in linguas plus quam 50. Enumeratio completa difficilis est. Brodrick : post Scripturam et « Imitationem Christi » difficile inveniri librum, qui tam celeriter in Ecclesia diffusus, et tam diversis populis familiaris factus sit.

2) *Bellum contra Catechismum* movebant tum asseclae **Josephinismi** in Lombardia, impellente principe **Kaunitz,** quia potestatem Ecclesiae et Pontificis exaggeraret, nimis multa dogmata proponeret, obligationes civium negligeret; tum asseclae **Jansenismi**, cuius hostilitas ob diversas doctrinas dogmaticas manifestabatur censura **Martini Natali,** epistula pastorali episcoporum **Ricci** et aliorum. Uterque catechismus vetitus est a **gubernio** imperiali **Viennensi,** atque plurima exemplaria vi destructa sunt.

3) *Defensiones praeclarae* Catechismi conscriptae sunt; brevior a **Gusta 1787 et 1789** in libro a Pio VI laudato, largior a quodam **sacerdote Patavino 1780.**

Iudicia directa. — Romani Pontifices. — **Clemens VIII** iussit, eum solum in Urbe eiusque districtu adhiberi. **Urbanus VIII** eius usum missionariis in Indiis orientalibus, **Benedictus XIV** in litteris Encycl. iterum *episcopis, parochis . . . . totius orbis « enixe commendavit ».* **Leo XIII:** « quem saeculorum usus et plurimorum episcoporum doctorumque Ecclesiae judicium comprobavit ».

Pius XI: *15 April 1923 :* alle « più umili plebi cristiane, alle quali il Bellarmino lasciava un monumento così chiaro della sua scienza e della sua umiltà, il piccolo catechismo, umile impiego della sua geniale intelligenza, umile ma *non impari nè alla dignità nè alla difficoltà dell'opera* ».

3 Maii 1923 « ...del piccolo Catechismo, che una volta di più *si leva gigante nella sua splendida luce* a dimostrare, che basta

da solo a dare le più alte direttive tanto ai grandi campioni dell'intelligenza quanto alle più piccole ed umili vite di quaggiù ».

Decretum Beatificationis: « *doctrinae christianae praeclarissimum Compendium, ad eorum (puerorum et rudium) captum apprime accomodatum* ».

Concilium Vaticanum. — « Nos sacro approbante Concilio, ob oculos habitis imprimis praedicto Ven. Card. Bellarmini Catechismo, tum etiam aliis in christiano populo magis pervulgatis Catechismis, novum auctoritate nostra latina lingua elucubrandum curabimus, quo omnes utantur sublata in posterum parvorum Catechismorum varietate ».

Quod decretum iam vota Patrum obtinuerat, et sine dubio vim legis obtinuisset, nisi Concilium suspensum fuisset.

Viri illustres. — **S. Franciscus Salesius** ordinavit, catechismum Bellarmini explicari; ipse eum explicavit ore atque methodum quo explicaretur dedit.

Archiepiscopus S. Josaphat catechismum quendam ad rationem catechismi Bellarmini exaravit.

Mamachi O. P. 1766: « *orthodoxorum omnium communem* »; diversos eum appellare « Romanum. »

Gusta 1793: in opere illo laudato a Pio VI: « *Tra i Catechismi di Scrittori Italiani merita in vero il primo luogo quello del Ven. Bellarmino* »: « dopo il Romano il più privilegiato nella Chiesa ».

Dom Guéranger O. S. B. 1850: « la valeur d'un document incontestable de la croyance de l'Église ».

DICHIARAZIONE DEL SIMBOLO

Ad catechetica *reduci potest:* dichiarazione del simbolo, liber ad usum parochorum destinatus. Sequitur singulos articulos symboli. Scriptus est a Bellarmino, archiepiscopo Capuae; diversas editiones, usque ad saeculum 19, et versiones in 7 linguas habet.

SECTIO IV.

CONCIONES

Jam a puerulo Bellarminus praedicandi ministerio praelusit. Inde ab a. 1563, i. e. ab anno secundo sui ministerii praedicationis, relicto stilo quaesito et accersito, qui tunc tantopere amabatur, usus est modo dicendi nobili simulque simplice, apostolico, etsi rationem artis rhetoricae eiusque praecepta nequaquam negligeret.

A) ITALICAE IN ITALIA

Notae historicae et aliquid de indole earum. — *Periodus prior 1563-1568 i. e. usque ad iter in Belgium.* — Annis suae aetatis 21-26 ex ordine Florentiae, in oppido Montis Regalis, Patavii diebus Dominicis et Festis, Montis Regalis vero etiam in Adventu et Quadragesima sacras orationes habuit. Hae tamen ad nos non pervenerunt.

Secunda periodus post reditum e Lovanio. — Saepe Romae praedicabat (aliquando etiam coram Gregorio XIII). At praecipue per tres annos uti archiepiscopus Capuanus (1602-1605) verbum Dei annuntiabat omni anno in omni vico et castello. In ipsa urbe Capuae habuit praecipue series concionum tres: conciones de pericopis Missalis ex epistolis Pauli, de evangeliis, de sermone montano. Servata sunt duo volumina sermonum Capuae habitorum, scripta manu Bellarmini, at non edita.

Iudicia indirecta. — *In priore periodo:* Bellarminus electus est, qui Venetiis contra licentiam dierum bacchanalium praedicaret. *In secunda periodo:* frequentissimi aderant etiam principes e vicina urbe Neapolitana; fructus erant copiosissimi.

Directa. — *De priore periodo:* ad Generalem Societatis Jesu a **Rectore** Bellarmini scriptum est: « nunquam locutus est sic homo ». — **Camaldulenses** etiam post annos: « nonne cor nostrum erat ardens... ». — **Pius XI** in Brevi Beatific.: « *egregius praedicator... uberrimam messuit spiritualem segetem* ».

De secunda periodo, Capuana, retulit auditor ordinarius: « predicava divinamente ». Praelatus quidam: « *quanto all'ordine, alla chiarezza, al frutto non ho sentito mai cosa pari* ». **Pius XI** in Brevi Beatificationes: « miram morum conversionem potissimum suis concionibus obtinuit ».

B) LATINAE

« Conciones... habitae... Lovanii... »

Ipsae conciones. — I. Origo et scopus. — Ob successum in Italia habitum Bellarminus 1569 a S. Francisco Borgia, Generali S. J., Lovanium missus est, ut in ea urbe, quae quasi media inter terras haeresi infectas sita erat, praecipue auditoribus celeberrimae Universitatis latine praedicaret, simulque theologiae cursum per 2 annos reliquos compleret. Habuit 1569-1575, cum esset annorum 27-33, sermones 87, quae interdum usque ad 2 horas protrahebantur.

II. Proprietates. — Ex illis 87 sermonibus 74 neque unice neque directe de controversiis agebant, sed *de diversis rebus* **fidei et morum.** Proprium est his concionibus, ut Bellarminus et ipsas res fidei et morum, et in virtutibus commendandis etiam ipsas rationes, cur sequendae sint, e Scriptura et Patribus, ex historia ecclesiastica, ex exemplis Sanctorum amplissime demonstret atque evolvat. Praeterea « le plan de ses sermons est bien ordonné et méthodique... doctrine solide... souplesse de la logique... chaleur du débit... l'élégance du geste... ». **Poncelet 1927.**

Protestanticae doctrinae autem praecipue his modis refutantur: 1) In omnibus illis 87 concionibus omnia quae tractat, solide e Scriptura (v. g. in 1ª concione textus 40) et Patribus, secundum contextum vim demonstrandi eruens, ostendit. Ita efficax indirecta refutatio haeresium habebatur. 2) « Il ne manquait pas une

occasion de réfuter les oeuvres des hérétiques et de mettre ses auditeurs en garde contre les novateurs ». **Poncelet.** 3) Directe contra novatores agunt conciones integrae 12 de notis Ecclesiae, quae Catholicos mire roborarunt ; praeterea una, quae celeberrima facta est, de Eucharistia, arguens e Patribus optima methodo explicatis.

Iudicia. — INDIRECTA. — *Audiebantur* a millibus, praecipue Universitatis alumnis et professoribus ; ab haereticis etiam ex Hollandia, Anglia ad eum finem venientibus ; tam *avide,* ut plurimi eas scripto exciperent atque servarent. — Habentur *editiones*, 1ª anno 1615, saltem 7 ; *versiones* germanicae et gallicae sermonum omnium, partium vero eorum etiam aliae ; *summae* quoque, uti simile scriptum 1902 adhuc a Bagster, Londini exaratum est.

Effectus : catholicorum fides plurimum firmabatur ; mores ita emendebantur, ut post singulas conciones peccatores multorum annorum ad Deum converterentur, haeretici vero multi e Belgio, Hollandia, Anglia ad Ecclesiam redirent.

DIRECTA. — Historia coaeva (ms) : « fructus incredibilis » ; **Card. Bentivoglio 50 annis post** testatus est : *dubitari* Lovanii, « *quali fossero stati più celebri e più fruttuose, o le sue vigilie di cattedra o pur quelle di pulpito* ». **Univ. Lov. 1713 :** « Conciones... pias... doctas... ut ad fidem... reduxerit non paucos », etc. **Poncelet 1927 :** « *une action durable sur la vie religieuse de notre pays* ». Etc.

Ad conciones suo modo pertinet scriptum « **De ratione formandae concionis** ». Cuius haec est INDOLES INTRINSECA : « Compositum est mox post cardinalatum susceptum. — Per puncta 9 tractat de concionis christianae scopo et mediis. Subjungit conspectum historicum de ratione concionandi inde ab initio, simulque scriptores indicat. — Plenum spiritu apostolico, solidum, practicum, simul quasi speculum est eius modi, quo ipse Bellarminus praedicabat. — IUDICIUM vero **Brodrick** hoc est : « aureum parvum compendium, quod cursus temporis nequaquam obscuravit ».

SECTIO V.

ASCETICA

A) — SEPTEM SCRIPTA OMNIBUS ECCLESIAE SIVE MEMBRIS SIVE PRINCIPIBUS ORDINIS ECCLESIASTICI VEL SAECULARIS DESTINATA

Caput I. — Indoles interna

QUAE SINT ET QUID CONTINEANT? — **De ascensione mentis in Deum per scalas creaturarum.** Omnes, praecipue eos, qui in rebus gerendis occupantur, docet e rebus creatis ad Deum ascendere, in praesentia Dei ambulare. — **De aeterna felicitate Sanctorum.** Eam ope Scripturae sacrae, nominatim verbis Pauli evolvit. — **De gemitu columbae sive de bono lacrymarum.** Rationem gemendi et boni lacrymarum ex iis rationibus eruit, quae ad viam purgativam, illuminativam, unitivam spectant. — **De septem verbis a Christo in cruce prolatis.** Ea cum applicationibus « aussi riches que solides », exponit. — **De arte bene moriendi.** Praeparationem ad bene moriendum, tum remotam (conspectum totius quasi asceseos), tum proximam proponit. — **De officiis principis christiani,** liber Ladislao principi haeredi Poloniae et Svediae destinatus. Hoc scriptum priore parte ad bonum regimen excitat, utens praecipue Scriptura et Patribus; secunda parte exempla sanctorum principum ample proponit. — **Admonitio ... ad episcopum Theanensem,** nepotem suum. Ea, quae tunc temporis episcopis maxime necessaria erant, urget, v. g. residentiam, rectum usum redituum.

Haec 7 scripta — excepta Admonitione ad nepotem — *singula* praecipuo quodam modo *singulis Exercitiis spiritualibus debentur,* quibus Bellarminus inde ab a. 1614 in novitiatu Romano Soc. Jesu quotannis per integrum mensem se dabat.

Proprietates horum scriptorum. — 1) Multas et solidas *rationes* pro veritatibus tum credendis tum faciendis praecipue e Scriptura, ex ascesi Patrum, etiam e theologis, e Sanctorum exemplis adducit. Monographiis quoque lectis animum suum praeparavit; v. g. pro parva « Admonitio ad episcopum...» 12 monographias, a S. Ambrosio usque ad Lud. Granatensem, legerat. — 2) *Modus:* Stilus omnino simplex sed sacra unctione perfusus est; saepe in soliloquia, preces, valde commoventia prorumpit. — 3) Cum doctrinis theoreticis fere ubique *valde practicas, easque saepe expositione sat longa,* proponit; continuo victoriam sui urget. — 4) Inter doctrinas practicas praefert illas, quae iis temporibus magis necessariae erant, uti erant elemosynae elargitio, ministerium a sacerdotibus et episcopis explendum. — 5) *Animo valde sincero* loquitur, veluti alius Jo. Baptista. — 6) *Characteristica* videntur haec: *In re ipsa « rare mélange de sainte crainte en face des jugements de Dieu et de l' incertitude de salut et de filiale confiance envers son très doux Sauveur et Père ».* **v. Frentz.** *In modo:* primum locum tenent rationes, quibus convincere intellectum studet, secundum affectus quos excitat. **Monier - Vinard** ita inter se comparat B. Bellarminum et S. Franciscum Salesium: « Le B. Bellarmin semble plutôt une intelligence qui aime, S. François de Sales un coeur qui comprend ». — Omnia omnino *ad praxim accomodata* sunt, porro secundum **Le Bachelet** 1912 quasi *nata e spiritualibus exercitiis S. Ignatii.*

Caput II. — Iudicia catholicorum

Indirecta.

Editiones:

« De ascensione mentis in Deum . . .	» 57	in 14	linguis.
« De aeterna felicitate sanctorum . . .	» 37	» 9	»
« De gemitu columbae	» 41	» 7	»
« De verbis Christi in cruce	» 35	» 9	»
« De arte bene moriendi.	» 55	» 11	»

Numeri non possunt esse nisi proximi rerum veritati.

FACTA QUAEDAM PARTICULARIA. -- Summi poetae, **Urbanus VIII** et **Sarbiewsky** ea scripta carminibus celebrarunt; **Guilelmus V dux Bavariae** diversa vertit; inter Catholicos Anglos legibus iniquis oppressos valde populares erant.

DIRECTA.

S. Franciscus Salesius de duobus prioribus scriptis simul sumptis ait: « libri piissimi quibus fidelium mentes recreavit et ad meliorem frugem excitavit ». - Circa scriptum « De ascensione mentis »: « *admirable* », « amabilis ». Scriptum « De gemitu » « nunquam cessavit laudare et legere ». — **Card. Scaglia O. P. 1624**: « *di tanta dottrina e pietà che non è facile a discernere, s'egli fosse o più dotto o più pio* ». — **Archiep. Harlay** (Rouen) de « Admonitione » Bellarmino scribit: « ne ha scritto assai per farci Santi, quanti siamo Prelati di Chiesa Santa ». — **Card. Bentivoglio 1620**: « ... Son valent' huomini veramente gli Spagnuoli nelle compositioni spirituali; e non so come la lingua ancora porta con se maggior peso con la sua gravità per imprimere le cose. D'Italia nondimeno il nostro Bellarmino fa godere anche la pietà nelle opere spirituali, come ha fatta sentire la dottrina in quelle di controversia... ». — **Hilarion de Coste 1625**: « livres non iamais assez lovez, cheris, et estimez, petits en apparence, mais grands en effet, qui ont causé mille et mille Conversions ». — **Dr. Hense 1868**: « ea nituntur firmo fundamento scientiae theologicae solidissimae ... neque indeterminata sunt neque parum secura neque exaggerata ... ». In *De gemitu* « loquitur cum tota dignitate et gravitate Patris Ecclesiae ». — **Dr. Mutz 1909** inter asceticos auctores eminentes saeculi 17 in Italia ponit solos Scupoli, Bona, Bellarminum. — **v. Frentz 1923,** huius generis scriptorum cultor singularis, de iis ait: *De ascensione:* « unit une profonde spéculation à un riche ensemble de données positives ... Profondeur du sentiment ». — *De gemitu* ...: scriptum « non minus profundarum cogitationum quam profundorum sensuum »,

« aliment fort ». — *De arte bene moriendi:* « excellent ». — De omnibus simul: « Ce qu'il dit en effet est toujours de grande importance pratique pour la vie spirituelle ». — **Pourrat 1927:** « l'une des meilleures sources de la spiritualité italienne ». — **Brodrick 1928:** eam seriem factam esse « immensely popular » tum inter Catholicos tum inter Protestantes.

Bellarminus ipse: *De ascensione:* « hunc sponte terque quaterque iam legi, . . . », « gratus fuit omnibus Ecclesiae filiis ». — *De arte moriendi:* « frequenter et libenter eum lego ».

Iudicia haereticorum. — IUDICIA QUAEDAM INDIRECTA in his habentur: In *Anglia* **Jacobus I** librum *De ascensione* saepe in sinu portabat. Adhuc 1925 nova versio ab Anglicana quadam facta est. **In Germania** olim paraphrasis eius libri a Protestante composita est. — Scriptum *De aeterna felicitate* in diversis versionibus anglicanis sparsum est. Etc.

B) — EXHORTATIONES DOMESTICAE

Ipse liber. — ORIGO. — Nomen indicat, eas in domibus Societatis Jesu habitas esse. Ad *diversas vitae Bellarmini periodos* pertinent. Editae sunt secundum ms Bibl. Rossianae 1899 a Bollandista **van Ortroy.**

PROPRIETATES. — 1) *Stilus* valde simplex est. — 2) *Materia:* Bellarminus integras series exhortationum de certis quibusdam rebus spiritualibus magni momenti proponit. V. g. 9 exhortationes agunt de caritate, 8 de perfectione, etc. — 3) *Ascesis* earum ad omnia ea sublimia ducit, quae instituto Soc. Jesu propria sunt, at viis securis. — 4) Utitur Bellarminus praecipue Scriptura, ascetica doctrina Patrum, frequentissime exemplis Sanctorum imprimis medii aevi et temporum recentiorum. — 5) *Directe magis instruit,* inflammat vero magis indirecte, at unctione plenae sunt. — 6) Mire sunt *ad praxim accomodata.*

Iudicia testium quorundum qui ipsi eas audierunt: **Beatus Bernardinus Realini S. J.,** postquam aliquam exhortationem a Bellarmino in Lecce habitam audiverat, eam integram propria manu scripsit, atque subiunxit: « veramente è un gran Santo ». — **Ven. Nicol. Lancicius,** sanctitate et scriptis asceticis celebris: « L' esortazioni domestiche le faceva in modo, che io sempre ne partivo tanto acceso e infervorato nell'amor delle virtù e nell'odio di tutte le imperfezioni, che per dir così sarei entrato nel fuoco ». — **P. Beatillus:** « alcune esortazioni della carità, che fece stupir tutti ».

c) — TRIA SCRIPTA QUIBUS BELLARMINUS OBEDIENTIAM RELIGIOSAM DEFENDIT

Epistula S. Ignatii de obedientia ab aliquo Patre Societatis ad S. Officium delata erat. Contra eum Bellarminus eam defendit, imo ostendit, « caecam oboedientiam, prouti a S. Ignatio commendatur, commendari etiam a Scriptura, Patribus, Ordinum fundatoribus, ratione intrinseca, idque pro omnibus omnino religiosis ». Quae defensio plenissimum successum obtinuit. Imo secundum **Brodrick** « paucae ex innumerabilibus paginis Bellarmini tam praeclare conceptae sunt, tam peremptoriae, tam victrices ». — Composita sunt haec scripta 1588-1589, edita vero 1913.

SECTIO VI.

LABORES IN CONGR. ROMANIS; SIMILES ALII.

Ipsi labores. — *a)* Vota in Congregationibus. — **Sunt de rebus ad theologiam, ius canonicum, historiam ecclesiasticam, Congregationem Rituum, Ecclesias Orientales etc. pertinentibus.**

b) Alia quoque scripta plurima eaque diversissimi generis a Beato composita sunt. Exempli causa adducantur: Censurae, v. g. de operibus Salmeronis; etiam eiusmodi, quae iussu Pontificis exaratae sunt, v. g. de Duval. Notae quaedam de vita sua, amici cuiusdam rogatu compositae, quae postea Autobiographia dictae sunt. Lucubrationes de fontibus iuris canonici, v. g. contra genuinitatem sic dictorum Pseudo-Isidorianorum. Scripta, quae Beatus contra « Monarchiam Siculam » quae dicitur, vel uti consiliarius Cardinalis Legati in Gallia de quaestionibus quibusdam religiosis in eo regno composuit. Quae ipsis Pontificibus proposuit v. g. de officio Pontificis, de tollenda forma electionis Pontificis per adorationem.

c) Ob temporis circumstantias iuverit cum **Georgio Hofmann,** haec efferre: « Il giudizio del teologo Bellarmino anche nelle questioni orientali fu assai apprezzato dalle Congregazioni Romane e dai Pontefici Clemente VIII e Paolo V », idque sive fidei causam tuebatur, uti v. g. in quaestionibus de Nestorianismo, sive ea quae pacis erant, quantum res ferebat, quaerebat, uti v. g. in defendenda validitate Confirmationis per sacerdotes Graecos factae. Porro si ipsam unionem spectas, v. g. « il Beato può dirsi Padre spirituale della unione dei Rasciani (serbo-croati), dell' odierna Jugoslavia... che finora perdura nella diocesi di Krijevatz ».

Ad talia agenda Bellarminum animum praeparasse suum eo quod calleret linguam graeam, legerit Orientalium ius, histo-

riam, Patres, aliosque auctores theologicos, praesertim eos qui proxime de unione egerant; quaestiones dogmaticas ad rem spectantes in « Disputationibus de Controversiis » egregie exposuerit. Accessisse magnum unitatis Ecclesiae amorem.

Iudicia quaedam. — Plurima illa scripta, quae Bellarminus pro Congregationibus Romanis composuit, cum tam varia tractent, paucis verbis ne adumbrari quidem posse videntur. Unde nihil remanet, nisi ut quaedam *iudicia* de omnibus Bellarmini laboribus in Congregationibus Rom. simul sumptis proferamus, sive eos in forma « Votorum » cognoscimus sive non.

Brodrick dicit, Bellarminum fuisse « the leading member » fere omnis Congregationis Cardinalium.

Card. de Torres refert: in Congregatione Rit. « vidi sempre *da tutti i Cardinali* farsi molta stima et *aderirsi con osservanza al parere e giudizio di Bellarmino* ».

Decanus S. Collegii Cardinalium, del Monte: « . . . *la chiarezza e sodezza delle sue ragioni*. Onde . . . tutta la Congreg. dei Riti ha . . . spesso lasciato, o mutato parere, o sentimento, solo per il credito, e rispetto che ciascuno portava alla dottrina, et autorità di quell' huomo ».

Card. Baronius: « multis se Doctorum Virorum Conuentibus ad res grauissimas examinandas cum Bellarmino interfuisse, animadvertisseque *unum illum prae ceteris ad rem semper amplissime disseruisse* ».

Card. Valier item quoad Congregationes in genere: " tanta era la fede, che ogn' uno haueua alla sua grand integrità, e perfettissimo giuditio, che bastaua solo, che egli riferisse di hauere studiata la materia, per far subito *correr ogn' uno senza contradittione nel suo parere* ».

Unde capitur, cur **Pius XI** in Brevi Beatificationis dicere potuerit: in Congr. Rom. « . . . impenso studio . . . atque in *gravissimis negotiis tractandis luculenta doctrinae prudentiaeque exhibuit documenta* ».

« **Recognitio librorum omnium Rob. Bellarmini** »

Composita est, ut videtur, fere a. 1607; respicit fere unice Controversias atque nominatim « De Ecclesia », « De gratia ». Nulla res magni momenti revocatur.

RERUM QUAE DICTAE SUNT COMPREHENSIO

Opera Beati Bellarmini, quae utique non omnia hic recensemus, hoc conspectu graphice comprehendere possumus.

	TITULUS:	Num. voluminum in Folio.	Num. editionum	Num. linguarum in quas versiones factae sunt
Edita	Disputationes de Controversiis	4	Circiter 20 vivente Bell., postea multae aliae.	3
	Caetera opera dogmatico-polemica	1	div. (1)	div.
	Explan. Psalmorum	1	c. 35	c. 4
	De Scriptoribus ecclesiasticis	1	c. 20	
	Catech.		c. 320	c. 50
	Scripta ascetica		c. 225 si connumerantur.	c. 15
	Conciones Lovan. Lat.	1	c. 7.	div.
	Vota, etc; epistulae	1		
Inedita	Commentaria Lov. in Summam S. Thomae.	c. 4?		
	Conciones Capuanae			
	Epistulae			
		c. 13 vol.		

(1) Hac voce utimur, si ea quae facta sunt, nimis implicata sunt, quam quae uno verbo exhiberi possint; pro explicatione remittimus ad exposita.

Inter haec opera Beati primum locum tenent *Disputationes de Controversiis fidei*. Etenim tum amplitudine tum momento alia opera superant. Amplitudine, sunt enim 4 volumina in Fol ; momento, uti expositio nostra, opinor, ostendit. Nam hoc opus controversias amplectitur omnes, easque in unum corpus apte coagmentatas, inter quas Cardinalis urget eas, quae sunt de Ecclesia et Romano Pontifice. Argumentatio ampla est, docta, solida, clara, eaque praecipue e Scriptura et Traditione hausta. Adversarios Bellarminus citat atque explicat fideliter, refutat absque acerbitate. Stilo utitur conciso neque ineliganti.

E caeteris haud paucis scriptis dogmatico-polemicis, praecipue 5 contra leges reipublicae Venetae et pro interdicto Pauli V, 3 (4) contra iuramentum fidelitatis a Jacobo I Angliae rege impositum, 1 contra Barclay, nomen Bellarmini uti defensoris Ecclesiae et Pontificis etiam magis celebre reddiderunt. Baii doctrinas ab Ecclesia condemnatas non minus strenue quam prudenter refutavit.

Cum Textus *Sacrae Scripturae* restituendi munus ei simul cum aliis doctis viris commissum esset, « opus immane alacri pectore aggressus, ut splendide absolveretur multum adlaboravit » ; in explanatione Psalmorum « scientiam cum pietate utilissime coniunxit ».

Liber « *de scriptoribus ecclesiasticis* » « singulares apud eruditos etiam protestantes, consecutus est approbationem ».

Pro filiis Ecclesiae in sacra doctrina instruendis Beatus duos composuit *Catechismos*, qui ob eximiam orthodoxiam, ob artem qua puerorum atque adolescentum intelligentiae adaptati sunt, ob ipsorum Romanorum Pontificum repetitam commendationem per saecula in plurimis terris adhibiti sunt.

Concionibus, quae doctrinae ubertate atque praestantia simulque zelo apostolico excellunt, tum Lovanii praecipue cultiores in fide et pietate firmavit haereticosque reduxit, tum in Italiae diversis urbibus, imprimis Capuae, quam archidiocesim per tres annos rexit, « uberem messuit spiritualem segetem ».

Ut viam perfectionis Christiani omnes arriperent atque in ea perseverarent, quinque scriptis diversis omnes hominum coetus, duobus aliis principes, sive ecclesiasticos sive saeculares, et solide instruxit et suaviter impulit.

In Congregationibus Romanis, per tria decennia « in gravissimis negotiis tractandis luculenta doctrinae prudentiaeque exhibuit documenta ». Inter alia diversimode pro unione Ecclesiarum orientalium laboravit.

ELENCHUS CITATIONUM

ELENCHUS CITATIONUM

COMPENDIA QUARUNDAM CITATIONUM, QUAE SAEPIUS OCCURRUNT

BELLARMINUS, T. = Oper. omm., ed. Neapol. Giuliano 1856-1862, Fol., Tomi 6 in 8 volumina divisi.

BELLARMINUS, Auctar. = Xavier-Marie Le Bachelet S. J., Auctarium Bellarminianum, Supplément aux Oeuvres du Cardinal Bellarmin, Paris 1913, Fol., 726.

BELLARMINUS, Autob. = Notae quaedam a S. Bellarmino 1613 de vita sua conscriptae, impressae 1675 in Summario p. 118-131, quod etiam invenitur in Posit. 1712 B. 118-131. Posteriores editores manuscripto usi non sunt et menda suis editionibus inseruerunt. Primus eas notas secundum ms. Cardinalis edidit Le Bachelet, Corresp. p. 442-466. Hanc repetit Romana, Dilucidationes, Pars II Appendix A p. 205-225; Brodrick I p. 460-481. — Utimur titulo « Autobiographia », quamvis potius tantum quaedam notae sint, quas Cardinalis amicis petentibus scripsit.

BELLARMINUS, Corresp. = Le Bachelet, Bellarmin avant son Cardinalat, 1542-1598, Correspondance et Documents, Paris 1911, 8°, 559.

BELLARMINUS, Ep. famil. = Roberti Bellarmini... Epistulae familiares, Romae 1650, 16°, 442 [editae a Jacobo Fuligatti].

LE BACHELET, BEL. = Le Bachelet, articulus Bellarmin, in Dictionnaire de Théologie catholique, Tome 2, Paris 1923 p. 560-599.

BRODRICK = James Brodrick S. J., The Life and Work of Blessed Robert Francis Cardinal Bellarmine S. J., 1542-1621, in two volumes, London, 8°, 521 et 543.

CAVALCHINI = Benedicto XIV... Relatio Caroli Alberti Card. Cavalchini... in causa Beatif. ... Bellarmini... super dubio, an constet de virtutibus..., Romae 1753, Fol., 268. Reimpressa est in: Romana... Beatif... Bellarmini... pro solutione dubii a Bened. papa XV propositi... Dilucidationes et argumenta iuris et facti... Pars II, Romae 1920, Fol., p. 1-202.

COLL. EP. POSTUL. 1644-1713 = Epistolae... ad... Innoc. X... Alex. VII... Clement. XI... pro causa Beatificationis et Canonizationis Ven. S. D. Rob. Bellarmini S. J. Juxta rationem temporum distributae, ac jussu Sanctissimi typis editae Romae, ex typographia R. Cam. Apostol. 1713, Fol., pp. 144.

COUDERC = J. B. Couderc S. J., Le vénérable Cardinal Bellarmin, 2 volumina, Paris 1893, 8°, 431 et 435.

v. FRENTZ, LEBEN = Emmerich Raitz v. Frentz S. J., Der selige Kardinal Robert Bellarmin S. J. ... Freiburg², 12°, 1923, pp. 226.

FULIGATTI = Giacomo Fuligatti d. C. d. G., Vita di Roberto Card. Bellarmino, ed. rivista ed accresciuta, Roma 1644, 8°, pp. 438.

HÖPFL = Hildebrand Höpfl O. S. B , Beiträge zur Geschichte der Sixto-Clement. Vulgata. Biblische Studien XVIII (1913). Erstes bis drittes Heft, 8°, pp. 339, Freiburg i. B.

Jugie	= Martinus Jugie, Theologia Dogmatica Christianorum Orientalium ab Ecclesia Catholica dissidentium, Parisiis 1926, Tom. I, Theologiae Dogmaticae Graeco-Russorum Origo, Historia, Fontes, 8°, pp. 727.
v. Pastor	= Ludwig v. Pastor, Geschichte der Päpste.
Pius XI, Beatif.	= Pius XI, Lit. ap. « Conspicuum » d. 13 Maii 1923; Act. Ap. S. XV (1923) p. 269 - 275.
Positio 1712	= Romana, Positio super dubio, An constet de virtutibus... Romae v. I 1712, Fol. - Constat e partibus diversis, distinctis per litteras A - L. Singulae suas enumerationes habent.
de la Servière	= J. de la Servière S. J., La Théologie de Bellarmin, Paris 1908, 8°, pp. 764.
Sommervogel	= Carlos Sommervogel S. J., Bibliothèque de la Compagnie de Jésus, nouvelle édition, Fol., Tome I 1890, Tom. VIII 1898.
Whitaker, Disputat. de Script.	= William Whitaker, Disputatio de S. Scriptura contra huius temporis Papistas, imprimis Robertum Bellarminum et Thomam Stapletonum, Genevae 1610, Fol., pp. 805.

SECTIO I.

SCRIPTA DOGMATICO-POLEMICA

A) — DISPUTATIONES DE CONTROVERSIIS

Caput I. — Ipsum opus

1. Origo Controversiarum. p. 1. — Indolem Commentariorum Lovaniensium esse similem indoli Controversiarum cf. Bellarminus, Corresp. p. 130 n. 1; T. 1 p. 3 non numerata, in epist. dedicatoria voluminis I ad Sixtum V, ed. Ingolstad. 1586; Anton. Possevinus S. J., Bibliotheca Selecta l. 7 c. 4, ed. Venet. p. 319.

a) Necessitatem alumnorum e Collegiis Anglico et Germanico-Hungarico his praelectionibus occasionem dedisse ait Bellarminus, T. 1 p. 10 versus finem Praefationis ad lectorem. *b*) De professoribus tribus qui ante Bellarminum Controversias legerant, v. Giuseppe Domenici S. J., La genesi, le vicende ed i giudizi delle Controversie Bellarminiane, Gregorianum II (1923) p. 520.

2. De indole Controversiarum generatim sumpta. p. 1-6. — de la Servière per integrum opus supra nominatum exhibet summam operis de Controversiis atque caeterorum scriptorum Sancti ad Controversias spectantium. — Le Bachelet, Bel., n. III col. 587-599 habet: Charactéristique, doctrine, influence de Bellarmin.

3. Materia Controversiarum. p. 3-4. — *a*) Bellarminus, T. 1 p. 17 in Oratione in scholis habita; p. 9 in Praef. ad

lectorem. - Le Bachelet, Bel. p. 588-589. - Jos. Scheeben, Lehrbuch der Dogmatik I, Freiburg 1873 p. 447. — Jos. Kleutgen S. J., Theologie der Vorzeit[2] IV, Münster 1873 p. 89. — Laur. Janssens O. S. B., Summa theol. I, Freiburg 1900 p. 18. — *b*) Bellarminus, T. 1. Dedicat. ad Sixtum V, ed. Ingolstad.

4. Ordo materiae. p. 4-5. — *a*) Bellarminus, T. 1 p. 22 in fine Orationis quam Controversiis universis praemisit. — *b*) Id., T. 1 p. 308-310 in fine Orationis quae praelectiones de Rom. Pontifice praecedit; p. 10.

5. Modus tractandi adversarios. p. 5. - *a*) Carolus Augustus Sales, De vita et rebus gestis Servi Dei Francisci Salesii, Lugduni 1634 p. 405. — Brodrick I p. 126-127, p. 164-173.

b) Guil. Whitaker, Disput. de Script. p. 254. — Joh. Henr. Heidegger, Historia papatus, Amstelodami[2] 1694 pag. 312. — Jo. Laurentius Mosheim, Institutionum Historiae Ecclesiasticae antiquioris et recentioris Libri IV, Helmstadii 1755 p. 710. — Edw. Bickersteth, On Popery, 1845 p. 8 (cf. Brodrick I p. 167). — Card. Henry Newman, Via media vol. I lect. 2 n. 12. — H. Thiersch (Hauck), artic. Bellarmin, in Realencyclopädie für Protestantische Theologie und Kirche II[3] 1897 p. 552. — *a* et *b*) de la Servière pag. 732-733.

c) Andrew Willet, Tetrastylon Papisticum, London 1593 (cf. Brodrick I p. 176).

d) Bellarminus, T. 1 p. 306 in Oratione ante praelectiones de Rom. Pontif.

6. Argumentandi ratio. p. 5-6. — Quoad Scripturam: de la Servière p. 733. — Argumentationem e purgatorio cf. Bellarminus, T. 2 p. 355-370.

Quoad Traditionem: 1. Bellarminus, Autobiogr. n. XLII. — de la Servière p. 734 in genere. — Quoad numerum auctorum de sacramentis: Brodrick I p. 133. — Testimonium Card. du Perron cf. Fuligatti p. 84-85. — De multis

locis ex uno Patre adductis Bellarminus, Auctar. p. 41 et p. 42 nota. *b*) — Brodrick I p. 133. — *c*) de la Servière p. 734. — 2. De monographiis: cf. exemplum Brodrick I p. 190-191. — Catalogum cf. Bellarminus, Corresp. p. 480-486.

7. Stilus. p. 6. — Le Bachelet, Bel. II col. 589.

Caput. II. — Judicia de opere

CATHOLICORUM IUDICIA INDIRECTA

Facta diversa. p. 7-9. — I. 1. Epist. Mercuriani v. Corresp. p. 109. — 2. Coaevus Sailly, Annuaire de l'Université de Louvain 1841 p. 169. — 3 et 4. Whitaker, Disput. de Script. p. 253. — 5. De Báthory rege Poloniae cf. v. Pastor IX p. 685, vers. ital p. 693; Corresp. p. 139-140; quoad Jacobum regem Scotiae ib. p. 130. — 6. Brodrick I p. 128-132.

II. Theodorus Canisius, v. Corresp. p. 231. — Leon. Lessius, ib. — Card. Dietrichstein, cf. Fuligatti p. 383.

III. De Collegio Germanico-Hungarico, postquam Bellarminus cathedram in Col. Rom. reliquerat, cf. Andreas Kard. Steinhuber, Geschichte des Koll. Germanikum-Hungarikum in Rom, Freiburg² 1906 volumen II p. 8. — De anno 1605 in Collegio Duacensi cf. Burton and Williams, The Douay College Diaries, Third, Fourth and Fifth with the Reims Report, 1570-1580, vol. II p. 64-65; quae notitia conferri debet cum ea, quae invenitur de priore tempore, 1577, in: (Thomas Francis Knox) The First and Second Diaries of the English College, Douay; London 1878 p. 117. — In Collegio Anglico de Urbe idem locum habuisse, ut videtur, atque in Coll. Germanico-Hungarico, cf. apud Herm. van Laak S. J., Martyres Angli et S. Bellarminus, in Gregorianum XI (1930) p. 336-370.

IV. Jac. Gretser S. J., Oper. omn., integri tomi VIII et IX in Fol., edit. Ratisbon., pp. 1082 et 608. Tomus VIII est de Verbo Dei, IX de Christo Christique vicario. — Testimonium

universale de Seminariis etc. habet Brodrick I p. 184. — Porro cf. opus quod conscripsit Vitus Erbermannus S. J., Controversiarum Roberti Bellarmini..... Compendium, a cavillis et imposturis Guilelmi Amesii, Puritani-Angli, Joannis Gerhardi, Lutherani-Jenensis, etc. vindicatum, Herbipoli 1671, 2 tomi, 12°, 462 et 363. Quod opus tanti pretii habitum est, ut Erbermanni responsiones difficultatibus adversariorum factae, additae sint ad singulos locos respondentes editionis Pragensis 1721, ipsumque opus in edit. Parisiensi 1870-1876 in T. 7 impressum sit.

V. Cf. Sommervogel I col. 1664-1667.

Post n. VI). Addi potest notitia quaedam de versionibus. Facta est versio gallica a Chastillon, secretario Cardinalis du Perron; germanica a Gumposch 1842-1853, de quibus v. Sommervogel col. 1164; Rogero Anderton ascribitur versio anglica manuscripta. De qua cf. Joseph Gillow, Bibliographical Dictionary of the English Catholics, volume I p. 41; Henr. Foley S. J., Records of the English Province of the Society of Jesus, volume V, 1879 p. 371-372 nota 56.

Effectus. p. 8-9. — Citationes in n. 1 et 3 exhibent numeros et paginas e Coll. Epist. Postul. 1644-1713.

1. Factum generale: Univ. Conimbricensis ep. 103 p. 135; Generalis Canonic. Lateran. ep. 59 p. 81; Gener. Ord. SS. Trinit. ep. 73 p. 86; Gener. Ord. Barnabitarum ep. 54 p. 61; Card. Spada, episc. Lucensis, ep. 68 p. 79; Brodrick I p. 184.

2. Quoad diversas terras simul: Bellarminus, Corresp. p. 320; du Jon (Junius), Animadversiones ad controversiam sextam... Oper. Theol., ed. postrema v. II, Genevae 1613 col. 1423. — De testimoniis Nuntiorum Apostolicorum cf. Bartoli l. 1 c. 13 post notam S. p. 86.

3. Quoad diversa regna Europae centralis: Quoad Germaniam in genere Ferdinandus, elector Colon., ep. 7 p. 8; Joseph Clemens, elector Colon., ep. 22 p. 23; quoad Bavariam de Guilelmo V ep. 6 p. 6; Ferdinándus Maria,

elector Bavar., ep. 9 p. 10; quoad Helvetiam Episc. Sedunensis, ep. 25 p. 27; quoad Belgium Vic. Gen. Mechlin. ep. 39 p. 41, aliae epistulae postul. in Archiv. Post. S. J. v. g. a. 1869; quoad Bohemiam Card. Schönborn, Archiv. Post. S. J.; quoad Lithuaniam episc. Vilnensis, ep. 27 p. 29; princeps Radzivil, ep. 24 p. 26.

De influxu multiplici in martyres et confessores in Anglia v. van Laak, in art. mox citato p. 336-353. — Speciatim de Carier v. Henricus Morus S. J., Historia Provinciae Anglicanae S. J., Audomari 1660, l. 9 n. 8 p. 402-403; de disputatione, quae occasionem dedit conversioni matris et uxoris Lord Buckingham v. C. H. Simpkinson, A Relation of the Conference between William Laud... and Mrs. Fisher the Jesuit... a new edition... London 1901, v. g. ch. 1 p. 1-30; de Newman eiusque amicis cf. eius Via Media vol. I lect. 2 n. 12 simul cum Brodrick I p. 166-167.

DIRECTA IUDICIA CATHOLICORUM

Pontifices. p. 9-10. — Clemens VIII v. Cavalchini n. 32, v. g. Romana, Dilucid. p. 17. — Bened. XIV, l. quem invenire non potui. — Bened. XV, 22 Dec. 1920; v. Galloni, Il B. Rob. Bellarmino, Roma 1923 p. 233. — Pius XI, 16 Apr. 1923, cf. ib. p. 244; Beatif. p. 269 et 271; Pius XI, Decr., « Tuto » ad Canon. progredi posse, 18 Maii 1930 ib. XXII (1930) p. 278.

Concil. Vatic. p. 11. — Conciliorum Recentiorum Collectio Lacensis, volumen VII col. 282,286, 378, 383, 405-406. — Granderath-Kirch S. J., Geschichte des Vatik. Konzils, 3 volumina, 1903-1906; vol. III p. 419 sqq. et passim. — Episc. Maret, Du Concile générale et de la paix religieuse, Paris 1869, 2 volumina; l. c. vol. II p. 4. — Card. Mermillod, ep. postul. in Archiv Post. S. J.

Doct. Ecclesiae S. Franc. Salesius. p. 11. — Verba eius v. citata S. François de Sales, Oeuvres (ed. Anecy 1892-

1928 volumina 28) Tom. 14 p. 127; quoad librum « Controverses » cf. Oeuvres Tom. 1 Préface p. CVIII-CXXXVI; de titulis v. Oeuvres Tom. 17 p. 239 nota.

Viri in dignitatibus ecclesiasticis constituti. p. 12-15. — Card. Bandini v. Fuligatti p. 379-380; Card. Varallo, ib. p. 387; Card. Centini, ib. p. 395; Card. Ubaldini, ib. p. 397; Card. Scaglia, ib. p. 408; Card. de Torres, Positio 1712 G 2 p. 71. — E collectione ep. post. 1644-1713: Leopoldus Guilelmus, archidux Austriae, ep. 2 p. 3; Ferdinandus, elector Colon., ep. 7 p. 8; Card. de Verme, episc. Ferrar., ep. 52 p. 59; Petrus, Patriarcha Venet., ep. 84 p. 102; Card. Spada, ep. 68 p. 79; Franc. Josephus, episc. Sedunensis, ep. 25 p. 27; Michael, episc. Trid., ep. 23 p. 24-25; Jos. Clemens, elector. Colon., ep. 22 p. 24; Theod., episc. Varmiensis, ep. 34 p. 36; Constantinus, episc. Vilnensis, ep. 27 p. 29; Capitulum Ulissiponense, ep. 90 p. 114; — Relat. Card. Cavalchini a. 1753 n. 299, Romana, Dilucid. p. 183.

